

MANUALE PIETATIS,

SEU

PARVUM

COELESTE PALMETUM,

IN QUO

ANIMA FIDELIS AD MANUM HABET
QUIDQUID AD PIETATIS INCREMENTUM
IPSI POSSIT ESSE AUXILIO.

—

EDITIO NOVA ET EMENDATA.



MECHLINIÆ,
EXCUDEBAT E.-F. VAN VELSEN.

BUSCODUCI.




PARISIIS.

APUD MOSMANS.

APUD P.-M. LAROCHE.

MDCCCLXIX.



APPROBATIO.

Hoc MANUALE PIETATIS diligenti cura et exquisito delectu in publicam lucem editum lubenter approbamus, ejusque usum hominibus litteratis inguamque latinam edoctis etiam atque etiam commendamus.

Mechliniæ 19 Junii 1869.

† VICTOR-AUG. ARCH. MECHL.

TABELLA TEMPORARIA

Anni Domini.	Littera Dominica.	Aur. num.	Epactæ.	Septuag.	Dies Ciuorum.	Pascha.
1869	c	8	xvij	24 Jan.	10 Feb.	28 Mar.
1870	b	9	xxviij	13 Feb.	2 Mar.	17 Apr.
1871	A	10	ix	5 Feb.	22 Feb.	9 Apr.
1872	g f	11	xx	28 Jan.	14 Feb.	31 Mar.
1873	e	12	i	9 Feb.	26 Feb.	13 Apr.
1874	d	13	xii	1 Feb.	18 Feb.	5 Apr.
1875	c	14	xxiii	24 Jan.	10 Feb.	28 Mar.
1876	bA	15	iv	15 Feb.	1 Mar.	16 Apr.
1877	g	16	xv	28 Jan.	14 Feb.	1 Apr.
1878	f	17	xxvi	17 Feb.	6 Mar.	21 Apr.
1879	e	18	vii	9 Feb.	26 Feb.	13 Apr.
1880	d e	19	xviii	25 Jan.	11 Feb.	28 Mar.
1881	b	1	*	15 Feb.	2 Mar.	17 Apr.
1882	A	2	xi	5 Feb.	22 Feb.	9 Apr.
1883	g	3	xxii	21 Jan.	7 Feb.	25 Mar.
1884	f e	4	iii	10 Feb.	27 Feb.	13 Apr.
1885	d	5	xiv	1 Feb.	18 Feb.	5 Apr.
1886	c	6	xxv	21 Feb.	10 Mar.	25 Apr.
1887	b	7	vi	6 Feb.	23 Feb.	10 Apr.
1888	A g	8	xvii	29 Jan.	15 Feb.	1 Apr.
1889	f	9	xxviii	17 Feb.	6 Mar.	21 Apr.
1890	e	10	ix	2 Feb.	19 Feb.	6 Apr.
1891	d	11	xx	25 Jan.	11 Feb.	29 Mar.
1892	c b	12	i	14 Feb.	2 Mar.	17 Apr.

FESTORUM MOBILIIUM.

Ann ⁱ Domini.	Ascens.	Pentec.	Corpus Christi.	Indictio.	Don. post Pentec.	Prima Dom. Advent.
1869	6 Maji	16 Maji	27 Maji	12	27	28 Nov.
1870	26 Maji	5 Jun.	16 Jun.	13	24	27 Nov.
1871	18 Maji	28 Maji	8 Jun.	14	26	3 Dec.
1872	9 Maji	19 Maji	30 Maji	15	27	1 Dec.
1873	22 Maji	1 Jun.	12 Jun.	1	25	30 Nov.
1874	14 Maji	24 Maji	4 Jun.	2	26	29 Nov.
1875	6 Maji	16 Maji	27 Maji	3	27	28 Nov.
1876	25 Maji	4 Jun.	15 Jun.	4	25	3 Dec.
1877	10 Maji	20 Maji	31 Maji	5	27	2 Dec.
1878	30 Maji	9 Jun.	20 Jun.	6	24	1 Dec.
1879	22 Maji	1 Jun.	12 Jun.	7	25	30 Nov.
1880	6 Maji	16 Maji	27 Maji	8	27	28 Nov.
1881	26 Maji	5 Jun.	16 Jun.	9	24	27 Nov.
1882	18 Maji	28 Maji	8 Jun.	10	26	3 Dec.
1883	3 Maji	13 Maji	24 Maji	11	28	2 Dec.
1884	22 Maji	1 Jun.	12 Jun.	12	25	30 Nov.
1885	14 Maji	24 Maji	4 Jun.	13	26	29 Nov.
1886	3 Jun.	13 Jun.	24 Jun.	14	25	28 Nov.
1887	19 Maji	29 Maji	9 Jun.	15	25	27 Nov.
1888	10 Maji	20 Maji	31 Maji	1	27	2 Dec.
1889	30 Maji	9 Jun.	20 Jun.	2	24	1 Dec.
1890	15 Maji	25 Maji	5 Jun.	3	26	30 Nov.
1891	7 Maji	17 Maji	28 Maji	4	27	29 Nov.
1892	26 Maji	5 Jun.	16 Jun.	5	24	27 Nov.

**Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens
vitæ, quæ nunc est et futuræ. I. AD TIMOTH. 4, 8.**


MONITUM.

**Preces quibus annexæ sunt indulgentiæ, hoc
signo (*) notantur ; quales autem indulgentiæ ob-
tineri per eas possint, pagina 522 accurate indi-
catur.**

MANUALE PIETATIS.

PARS PRIMA.

EXERCITIA PIETATIS ORDINARIA.



I.

PRECES MATUTINÆ.

*Ut primum evigilas, muni te signo
S. Crucis, et mox dic :*

DEUS, Deus meus, ad te de luce vigilo.
Sistivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc et semper, et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Gloria Patri, qui creavit nos.

Gloria Filio, qui redemit nos.

Gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit nos.

Inter surgendum dic :

In nomine Domini nostri Jesu Christi surgo, ipse me benedicat, regat, custodiat, et ad vitam perducatur æternam. Amen.

Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.

*Toto autem eo tempore quod induendis tibi vestibus et lavandis facie ac manibus impendis, precare, recitando Ps. Miserere, De profundis, vel **Mysterium** aliquod Vitæ aut Passionis Domini nostri Jesu Christi considerando.*

Cum vestibus fueris indutus, attente et devote recita, flexis genibus, sequentes preces :

In nomine Patris , et Filii , et Spiritus
sancti. Amen.

* Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermonem ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus :

**Ductore sic te prævio:
Vitemus omne noxium.**

**Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.**

**Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne sæculum.**

Tempore paschali :

**Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In sæculorum sæcula.**

Amen.

V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS.

**Deus qui corda fidelium sancti Spiritus
illustratione docuisti : da nobis in eodem
Spiritu recta sapere, et de ejus semper con-
solatione gaudere.**

**Actiones nostras, quæsumus, Domine,
aspirando præveni, et adjuvando prose-
quere : ut cuncta nostra oratio et operatio
a te semper incipiat, et per te coepta finia-
tur. Per Dominum nostrum Jesum Chris-**

tum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

GRATIARUM ACTIO.

Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa Unitas, confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Amen.

Gratias tibi agimus, sanctissima Trinitas, pro custodia in hac nocte, et incolumitate misericorditer nobis præstita, et pro cæteris collatis beneficiis: da, quæsumus, ut semper in digna gratiarum actione vivamus. Amen.

Hic lente et maxima cum attentione recitentur Pater, Ave, Credo, Præcepta Decalogi, et Ecclesiæ, item actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, et Relationis operum in Deum. Convenit, ut has preces identidem hic recitemus lingua vernacula, qua eas infantes didicimus.

ORATIO DOMINICA.

Pater noster, qui es in coelis: sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et

ne nos inducas in tentationem : sed libera nos a malo. Amen.

SALUTATIO ANGELICA.

Ave Maria, gratia plena : Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

SYMBOLUM APOSTOLORUM.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum : qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus : descendit ad inferos : tertia die resurrexit a mortuis : ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis : inde venturus est judicare vivos, et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.

PRÆCEPTA DECALOGI.

1. Non habebis Deos alienos coram me.
2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

3. Memento, ut diem Sabbati sanctifices.
4. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.
5. Non occides.
6. Non mœchaberis.
7. Non furtum facies.
8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.
9. Non concupisces uxorem proximi tui.
10. Nec omnia quæ illius sunt.

PRÆCEPTA ECCLESIAE.

1. Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato.
2. Sacrum Missæ officium diebus festis reverenter audito.
3. Indicta certis diebus jejunia, et a quibusdam cibis abstinentioniam observato.
4. Peccata tua sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate, singulis annis confiteter.
5. Sacrosanctam Eucharistiam ut minimum semel in anno, idque, circa festum Paschæ, sumito.

ACTUS FIDEI.

* Firma fide credo, te Deum esse, Unum in essentia, Trinum in personis; credo Filium Dei Jesum Christum incarnatum, passum pro nobis et mortuum; credo te remuneratorem bonorum et vindicem malo-

rum; credo et profiteor, quæ symbolo apostolorum continentur et omnia ac singula, quæ sancta Ecclesia Romano-Catholica mihi credenda proponit; quia tu Deus summa veritas es, qui ea revelasti.

In hac fide et pro hac fide vivere et mori volo ac statuo.

ACTUS SPEI.

Misericordissime Deus, spero per passionem et merita Jesu Christi hic tuam gratiam et remissionem peccatorum, posthac vitam æternam in beatifica tui possessione; quia tu, Deus meus, omnipotens es, et infinite bonus erga nos, ac fidelis in promissis.

Dominus firmamentum meum et refugium meum, liberator meus, adiutor meus; sperabo in eum, non confundar in æternum.
Ps. 17. v. 3.

ACTUS CHARITATIS.

Amo te, Deus meus, super omnia ex toto corde; amo te propter te, et proximum meum propter te, quia in te ipso es summe bonus et ipsa bonitas infinita, et ideo dignus, ut ameris ab omnibus: ament te omnes homines! Laudent te omnes creaturæ! Utinam ego te, Deus, plus amarem! Vere me pœnitet, quod umquam te offenderim: jam statuo servare omnia mandata tua.

ACTUS CONTRITIONIS.

Domine Deus , doleo ex integro corde de peccatis commissis, quia per ea te, summum bonum super omnia dilectum, offendi ; et detestor ea, quia tibi displicent : propono firmiter non peccare de cætero : et ex hoc momento statuo vitare et tollere occasiones omnes, causas et pericula peccatorum ; potius vitam et omnia amittere , quam peccatum admittere : statuo etiam peccata mea quamprimum confiteri ; et in satisfactionem accepto de manu tua omnia adversa, labores et onera. *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias. Ps. 50.*

ACTUS RELATIONIS OPERUM IN DEUM.

Domine Deus, omnium creator et gubernator, in quo vivimus, movemur et sumus, sine quo nihil possumus, quæcumque hodie cogitabo, loquar, agam, aut patiar, omnia refero ad gloriam tuam et Domini nostri Jesu Christi.

Domine Deus, omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Per Dominum nostrum etc.

LITANIÆ SANCTISSIMI NOMINIS.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Jesu, Fili Dei vivi,
Jesu, splendor Patris,
Jesu, candor lucis æternæ,
Jesu, rex gloriæ,
Jesu, sol justitiæ,
Jesu, fili Mariæ virginis,
Jesu, amabilis,
Jesu, admirabilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, pater futuri sæculi,
Jesu, magni consilii angele,
Jesu, potentissime,
Jesu, patientissime,
Jesu, obedientissime,
Jesu, mitis et humilis corde,
Jesu, amator castitatis,
Jesu, amator noster,

Miserere nobis.

Jesu , Deus pacis,
 Jesu , auctor vitæ,
 Jesu , exemplar virtutum,
 Jesu , zelator animarum,
 Jesu , Deus noster ,
 Jesu , refugium nostrum,
 Jesu , pater pauperum,
 Jesu , thesaurus fidelium,
 Jesu , bone pastor ,
 Jesu , lux vera,
 Jesu , sapientia æterna ,
 Jesu , bonitas infinita,
 Jesu , via et vita nostra,
 Jesu , gaudium angelorum,
 Jesu , rex patriarcharum ,
 Jesu , magister apostolorum ,
 Jesu , doctor evangelistarum,
 Jesu , fortitudo martyrum,
 Jesu , lumen confessorum,
 Jesu , puritas virginum,
 Jesu , corona Sanctorum omnium,
 Propitius esto , parce nobis , Jesu.
 Propitius esto , exaudi nos , Jesu.
 Ab omni malo , libera nos , Jesu.
 Ab omni peccato , libera nos , Jesu.
 Ab ira tua , libera nos , Jesu.
 Ab insidiis diaboli , libera nos , Jesu.
 A spiritu fornicationis , libera nos , Jesu.
 A morte perpetua , libera nos , Jesu.

Miserere nobis.

A neglectu inspirationum tuarum ,
 Per mysterium sanctæ incarnationis
 tuæ ,
 Per nativitatem tuam ,
 Per infantiam tuam ,
 Per divinissimam vitam tuam ,
 Per labores tuos ,
 Per agoniam et passionem tuam ,
 Per crucem et derelictionem tuam ,
 Per languores tuos ,
 Per mortem et sepulturam tuam ,
 Per resurrectionem tuam ,
 Per ascensionem tuam ,
 Per gaudia tua ,
 Per gloriam tuam ,
 Agnus Dei , qui tollis peccata mundi, parce
 nobis , Jesu.
 Agnus Dei , qui tollis peccata mundi , ex-
 audi nos , Jesu.
 Agnus Dei , qui tollis peccata mundi , mi-
 serere nobis , Jesu.
 Jesu , audi nos.
 Jesu , exaudi nos.

OREMUS.

Domine Jesu Christe , qui dixisti : petite
 et accipietis , quærite et invenietis , pul-
 sate et aperietur vobis ; quæsumus, da no-
 bis petentibus divinissimi tui amoris affe-

ctum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua nunquam laude cessemus. (1)

(1)

MECHLINIEN,

Præter Litanias illas Sanctissimi Nominis Jesu, quas Sacra Rituum Congregatio ad preces quorundam Episcoporum et Principum præsertim Germaniæ probari posse rescripsit die 14 Aprilis 1646 quatenus summo Pontifici placuisset, successu temporis in aliis Orbis plagis non parum diversæ a primis in lucem prodire Litanie ejusdem Sanctissimi Nominis Jesu, earumque usus adeo diffusus, et propagatus est, ut absque Fidei offensione et scandalo tolli nequeat, uti sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX ingenue exposuerunt permulti exterarum gentium R^m Antistites, quorum aliqui Cardinalitia etiam Dignitate spectabiles, occasione sollemnis Canonizationis Romæ degentes. Et quoniam eosdem Antistites non latebat monumenta desiderari, ex quibus deduci possit Summos Romanos Pontifices aliquando adprobasse Litanias diversas a Lauretanis et ab illis Breviarii Romani; nec recitantes Litanias Sanctissimi Nominis Jesu concessisse unquam Indulgentias quæ enuntiantur; hinc ne Fideles in errore versentur, eundem Sanctissimum Dominum supplices exoraverunt ut super hoc satis gravi negotio de Apostolica benignitate opportune providere dignaretur, ac decernere inter varias Litanias Sanctissimi Nominis Jesu, quæ unice retineri possint, easque sacris Indulgentiis ditare. Sanctitas porro sua perpensis expositis rerum adjunctis ac instante inter alios Em^{mo} et Rev^{mo} Domino Card. ENGELBERTO STERCKX, Archiepiscopo Mechliniensi ad relationem infrascripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii, indulgit ut Fideles utriusque sexus Diocesis Mechliniensis qui supra adnotatas Litanias de Sanctissimo Nomine Jesu, et non alias quascunque ab eis diversas, quas suprema auctoritate omnino abolevit, devote recitaverint, lucrari valeant Indulgentiam tercentorum dierum in forma

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

Sancte Michaël archangele, defende nos ab hostibus.

Sancte Joseph, sancti NN. Patroni nostri, et omnes Sancti Dei, intercedite pro nobis.

* Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et gubernas.

Dominus nos benedicat, et ab omni malo defendat, et ad vitam perducatur æternam, et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

* V. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

R. Et concepit de Spiritu sancto. Ave Maria.

Ecclesiæ consueta. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 Augusti 1862.

C. Episc. PORTUEN, et S. RUFINÆ, Card. Patrizi,
S. R. C. Præf.

L. S..

D. BARTOLINI, S. R. C. Secretarius.

V. Ecce ancilla Domini.

R. Fiat mihi secundum verbum tuum.
Ave Maria.

V. Et Verbum caro factum est.

R. Et habitavit in nobis. Ave Maria.

V. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus
Christi.

OREMUS.

Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui, Angelo nuntiante, Christi filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hos quatuor versiculos cum oratione dic mane, meridie et vespere, cum Salutationis angelicæ signum datur. Tempore paschali dicitur : Regina Cœli, etc.

Sequitur meditatio secundum methodum pag. 22 propositam.



Fin de l'aperçu

La suite du livre est en qualité visuelle diminuée. Le livre est toutefois complet.

Il est possible de se procurer à prix abordable une édition papier du livre en visitant le site suivant :

canadienfrancais.org

Ce PDF peut être distribué librement. Plus de détails à la dernière page.

Poterunt etiam, ut gratæ varietas devotioni faveat, identidem recitari sequentes preces matutinæ his versibus summam comprehendere.

1. *Sis gratus.* 2. *Cor offer.* 3. *Opus dispense futurum.*
4. *Vita peccatum.* 5. *Subsidiumque pete.*

POSTQUAM VESTIVUS ES.

1. *Sis gratus SS. Trinitati.*

Adoro, laudo, et glorifico te, o SS. Trinitas, et gratias ago, quod te protegente noctem hanc incolumis transegerim. O quam multi peccatores eandem hac nocte mortui, et merito suo æternum sunt damnati! Quid tibi, o summum bonum meum, rependam, quod me tam singulari amore dignatus es? Tu, quæso, o piissima Mater, castissimæque Virgo Maria, tuque, o Angele custos, et vos Patroni mei NN., laudate et glorificate Dominum mecum nunc et semper. Amen.

II. *Cor offer celesti Patri.*

O Pater æternæ, tibi cor meum, et omnes animæ vires, corporisque sensus, et quidquid in me est, lubens volens offero. Suscipe me creaturam tuam, omniaque mea in unione dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi. O Pater, quando veniam et apparebo in conspectu tuo?

III. *Opus dispone futurum, juxta doctrinam et exemplum Christi.*

O dulcissime Jesu, qui es Via, Veritas et Vita : en, firmiter statuo in viam mandatorum tuorum currere, ac hoc præsertim pietatis munus N. hodie obire. Universa et singula Nominis tui gloriæ adscribo. O Jesu, spes et vita mea, utinam te hodie et omni tempore, quoties spiritum traho, amare, venerari, glorificare, omnesque creaturas ad tui laudes adducere possem ! Suscipe, o Jesu, hanc voluntatem meam, tuisque infinitis meritis defectus meos supple.

IV. *Vita peccatum, Spiritus sancti ope.*

Veni, sancte Spiritus, solatium atque robur animæ meæ, ut cunctis tentationibus fortiter resistam. Ergone peccatum hoc N. sciens ac volens repetam ? Heu nimis crebro in illud incidi : constantem ab hoc die emendationem spero. Gratia tuæ ope mihi assiste, o sancte Spiritus ; ita super aspidem et basiliscum ambulabo, et conculcabo leonem et draconem. *Ps. 90. 13.*

V. *Subsidium pete ab omnibus Sanctis Dei.*

Adeste mihi pariter, o Electi Dei omnes, bonis favete propositis ; o sancta Dei Geni-

trix Virgo Maria, una cum castissimo Sponso tuo S. Josepho, et tu, S. Angele, fidelis mei custos, vosque pariter Patroni mei singulares SS. NN.; et vos, quorum hodie memoria agitur, auxiliatricem mihi manum porrigite, incautum monete, errantem in viam reducite, ut cuncta, quæ apud me statui, reipsa hodie exequar. Tu cunctis aspira, Deus meus et omnia.

Pater noster etc. Ave Maria etc. Credo etc.

Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire. Miserere nostri, Domine, miserere nostri. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te. In te Domine, speravi, non confundar in æternum.

COMMENDATIO

SUI AD JESUM.

O amabilissime Jesu, ego me hodie, et semper in manus tuas commendo, quemadmodum tu moriens in Cruce te in manus Patris, et beatissima Mater tua se tibi commendavit. Fac, ut secundum voluntatem tuam vivam, et in te moriar, utque idem omnibus tam inimicis, quam amicis meis concedas, oro, maxime his NN: per merita Passionis et mortis tuæ,

perque dulcissimæ Matris tuæ, et Sanctorum omnium intercessionem. Amen.

Benedictio.

Benedic me, pie Jesu, cum Patre et Spiritu sancto, et perduc ad vitam æternam. Amen.

Præterea pro cujusque voluntate recitari poterunt preces sequentes, vel aliæ similes.

COMMENDATIO

SUI AD B. VIRGINEM.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam, et in sinum misericordiæ tuæ, hodie, et quotidie, in hora exitus mei, animam meam, et corpus meum tibi commendo; omnem spem meam, et consolationem meam, omnes angustias et misérias meas, vitam et finem vitæ meæ tibi committo; ut per tuam sanctissimam intercessionem, et per tua merita, omnia mea dirigantur, et disponantur opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

AD S. ANGELUM TUTELAREM.

O fidelissime comes, a Deo tutelæ meæ assignate, prolector et defensor meus, numquam recedens a latere meo, quas tibi gratias referam pro fide, amore, innu-

merisque in me collatis beneficiis? Tu dormienti advigilas : mœstum solaris : dejectum erigis : imminetia pericula avertis : futura doces cavere : a peccatis abstrahis : ad bonum impellis : lapsum ad poenitentiam hortaris , Deoque concilias. Jam dudum fortassis in infernum detrusus fuisssem, nisi tuis precibus divinam a me iram avertisses. Ne, precor, me umquam deseras : in adversis solare : in prosperis contine : in periculis tuere : in tentationibus adjuva, ne iis umquam succumbam. Preces et gemitus meos, omniaque pia opera divino conspectui offer, atque effice, ut in gratia ex hac perveniam ad vitam æternam. Amen.

Angelus Domini etc. *Vide supra, p. 13.*

Sequitur meditatio, ut dicitur supra, p. 14.

Ut semper in statu gratiæ degas, assuesce singulis horis elicere actum contritionis, hoc vel simili modo :

Deus meus et omnia, doleo quam possum maxime, quod te, quem super omnia amo, peccatis meis umquam offenderim : propitius esto mihi peccatori.

Ad initium cujusque operis dic :

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Veni sancte Spiritus, etc. *p. 22.*

Vel dic :

Ad majorem nominis tui gloriam, Deus, hoc opus aggredior, illudque infinitis Jesu Christi meritis conjunctum tibi offero.

Et cum extra statum gratiæ nullum opus ex condigno sit meritorium, elice breviter, ut supra, actum contritionis, vel dic :

Amo te, Deus noster, super omnia, et doleo ex toto corde, quod te summum bonum meum offenderim, emendationem et satisfactionem cum tua gratia propono.

De intentione bona omnibus operibus nostris præmittenda.

Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum. Col. 3. 17.

Inter opus mentem sæpius ad Deum eleva.

Dum hora auditur, dic :

Ave Maria etc. *Vel :* Omnipotens faustam donet mortalibus horam.

Dum vadis ad templum.

Domine, in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam : adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

IN ASPERSIONE AQUÆ BENEDICTÆ.

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealabor. *Ps.* 50. 8.


Actum contritionis *breviter elice, ut supra, vel hoc modo:*

Doleo, o Deus, quod umquam te, quem amo super omnia, offenderim.

II.

* MEDITATIONES

PRO SINGULIS HEBDOMADÆ DIEBUS.



I. MEDITATIO

PRO DIE DOMINICA.

De æterna Beatitudine.

PRÆPARATIO. 1. *Seposito omni terreno affectu et cura, dic :*

Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

v. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

2. *Imaginare tibi amplissimum et pulcherrimum Beatorum domicilium, in eoque Deum inter Angelos etc.*

3. *Pete gratiam, ut, quantum fieri potest, cœlestem illam gloriam prospicere et agnoscere possis.*

PUNCTUM I.

Considera, quid sit beatitudo, sc. Status bonorum omnium aggregatione perfectus, sine admixtione ullius mali, in quo Beati secure cum plenissima desiderii satietate conquiescunt juxta illud Ps. 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua.

Affectus. Quid ergo mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Ps. 72.

PUNCTUM II.

Considera, quam suavis in illa civitate cœlesti (cujus muri, portæ, plateæ, et claritas describuntur Apoc. 21.) sit futura Christi, Beatæ Mariæ Virginis, Angelorum et aliorum Sanctorum familiaritas, ubi omnes cum Deo, et Deus cum omnibus intime erit conjunctus; ubi summi infimos sine ullo despectu, et infimi summos sine ulla invidia amplexabuntur.

Affectus. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Ps. 83.

PUNCTUM III.

Considera gloriæ diversitatem 1. Cor. 15. 41. Alia est claritas solis, alia claritas

lunæ , et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum. *Nam quo plus boni quisque in hac vita præstiterit , et mali pro Deo sustinuerit , tanto major erit ejusdem gloria.*

Affectus. Et ego ubique crucem et labores subterfugiam , cum tamen non sint condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam ? Rom. 2.

Colloquium. Age Deo gratias, quod tantum tibi præparaverit præmium pro tam exiguis ipsi præstitis obsequiis : accusa ingratitudinem et negligentiam tuam.

Totum hoc pietatis exercitium protectioni Beatæ Mariæ Virginis committe , atque ideo recita orationem : Sub tuum etc. p. 13.

II. MEDITATIO

PRO DIE LUNÆ.

De Morte.

Præparatio est eadem quæ pag. 22. Sed pro imaginatione loci, cogita, te jacere in lecto agonizantem, una manu Crucifixum, altera cereum tenentem.

PUNCTUM I.

Considera , statutum esse omnibus ho-

minibus semel mori. *Heb. 9. Incerta vero est dies et hora. Nam dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint: Pax et securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus. 1. Thess. 5. 3. Vere dixit Sapiens Eccl. 9. Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo, sic capiuntur homines in tempore malo.*

Affectus. Cur ergo non omni hora et momento me paro, prout Christus adhortatur Matth. 24. Estote parati, quia nescitis, qua hora Filius hominis venturus sit.

PUNCTUM II.

Considera, quanti isto tempore sint futuri dolores corporis, ob quos nec orare, nec serio pœnitentiam agere, nec recordari peccatorum tuorum poteris. Implebitur enim illud Ps. 40. 4. Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Affectus. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. Gal. 6. 10. De præsentī vero tempore dicitur: Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. 2. Cor. 6. 2. Dixi, nunc cœpi. Ps. 76.

PUNCTUM III.

Considera, in quantis angustiis tunc futura sit anima, quando a corpore illi discedendum erit, et nescit, an odio, an amore

digna sit ; *an in cælum recipienda sit , an in infernum detrudenda. Anima Hilario-
nis , qui septuaginta fere annis Christo
servierat, trepidavit in egressu : Egredere,
aiebat, anima mea, quid times? Job quoque
moriturus ait cap. 10. 12. Dimitte me , ut
plangam paululum dolorem meum etc.
Quanto majorem causam timoris tu habes!
Sed Justorum animæ in manu Dei sunt , et
non tanget illos tormentum mortis. Sap.
3. 1.*

*Affectus. Utinam hæc semper expende-
rem, atque ita vitam instituerem, ut dicere
possem : Mihi vivere Christus est , et mori
lucrum ! Phil. 1. 21.*

*Colloquium fit cum Christo ; de neglecta
meditatione mortis accusa te , emendatio-
nemque sponde.*

III. MEDITATIO

PRO DIE MARTIS.

De Judicio.

*Præparatio ut pag. 22. Pro imaginatione
loci, cogita te coram Christo sedente in
throno judiciario tamquam debitorem sta-
re, redditurum, rationem etc.*

PUNCTUM I.

Considera, qua ratione anima soluta

vinculis corporis, ab omnibus derelicta, Christo judici sistenda sit, æternam acceptura sententiam, ubi nec preces, nec lacrymæ quidquam valebunt, nec excusatio admittetur, ubi Angelus custos et diabolus bona et mala opera proferent, etc. Quid sum miser tunc dicturus !

Affectus. Adhucne tam ero incurius ? Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 1. Cor. 11. 31.

PUNCTUM II.

Considera, non tantum de gravibus peccatis, sed etiam de verbo otioso reddendam rationem. Tunc tibi scribetur illud Dan. 5. 25. Mane, Thecel, Phares. MANE : numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud. THECEL : appensus es in statera, et inventus es minus habens. PHARES : divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis.

Affectus. Et ego non paveam ? Conflige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui. Ps. 118. Non intres in iudicium cum servo tuo. Ps. 142.

PUNCTUM III.

Considera, quanto cum tremore expectaturi sint omnes sententiam decretoriam,

quæ in æternum non mutabitur. Venite benedicti etc. Discedite a me, etc.

Affectus. Et me deinceps peccare delectabit? Loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam Deo : NOLI ME CONDEMNARE. Job. 10.

Colloquium. Grates age Christo, quod tibi hucusque tempus gratiæ indulserit, etc.

IV. MEDITATIO

PRO DIE MERCURII.

De Inferno.

Præparatio uti pag. 22. Pro imaginatione loci, pone tibi ob oculos profundam et horrendam cavernam plenam serpentibus, aliisque monstris, ubi continuus ejulatus, inter fumum et stridentes flammæ, etc.

PUNCTUM I.

Considera, quid sit æterna damnatio, sc. Interminabilis et immutabilis status, in quo reprobi sine ulla commiseratione torquebuntur : nullum simile tormentorum genus ab homine potest excogitari. Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, etc. Apoc. 14. 10.

Affectus. Vere Isaias cap. 33. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus

sempiternis? *O Domine, hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.*

PUNCTUM II.

Expende poenam sensus, *h. e. æterna tormenta tam animæ, quam corporis, Oculi spectris, Aures incondito ejulatu, fletu et blasphemiiis, Nares intolerabili fœtore, Lingua et Palatum liquata pice et sulphure, Manus, Pectus, totumque reliquum corpus intolerabili carnificina cruciabuntur. Memoria et Intellectus recordatione et consideratione neglecti temporis gratiæ cor identidem rodent. Voluntas nihil ex suis desideriis et votis obtinebit; omnia in contrarium ibunt. Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum etc. Apoc. 18. 7.*

Affectus. *O cæcitatem hominum, qui, pro guttula mellis, tantum haurire fellis non verentur!*

PUNCTUM III.

Expende poenam damni, *quæ est æterna a conspectu Dei, et consortio Sanctorum exclusio, multo intolerabilior, quam omnia alia tormenta.*

Affectus. *O si hæc numquam animo exciderent! Ne projicias me Domine a facie tua. Ps. 50.*

Colloquium sit deprecatio tantæ pænæ.

V. MEDITATIO

PRO DIE JOVIS.

De beneficiis divinis.

Præparatio ut pag. 22. Pro loci constitutione imaginare tibi cor et oculos Dei ad dona sua cumulate conferenda propensi.

PUNCTUM I.

Considera 1. Deum ab æterno in te præ tot aliis oculos suos coniecisse, et ex nihilo ad æternam salutem creare decrevisse. Jer. 31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. Re ipsa deinde produxit te tempore gratiæ, loco catholico, parentibus piis etc. peccanti pepercit, tot periculis eripuit, et in viam salutis induxit, etc.

Affectus. Misericordias Domini in æternum cantabo. Ps. 88. Tantumne benefactorem ullo umquam peccato offendam?

PUNCTUM II.

Considera, Deum Sacramenta BAPTISMATIS et POENITENTIÆ instituisse, ut a peccatis liberaremur, non ob suum, sed nostrum commodum; ipse enim bonorum nostrorum non indiget; potuisse nos citra ullam injuriam æternum damnare, etc.

Affectus. Benedic anima mea Domino ; et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. *Ps.* 102.

PUNCTUM III.

Considera incomprehensibilem Dei amorem erga nos in sacrosanctæ Eucharistiæ institutione, quo seipsum nobis in cibum et polum dat. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. Deut. 4.

Affectus. *Ubi est reciprocus amor meus ? Quid retribuam Domino pro omnibus etc. Ps. 115.*

Colloquium ad Deum, ne benefacere desistat.

VI. MEDITATIO

PRO DIE VENERIS.

De passione et mortis Christi.

Præparatio ut pag. 22. Pro imaginatione loci, pone tibi ob oculos montem Oliveti, ad cujus radicem Christus sanguinem sudavit : montem Sion, in quo sita est urbs Solymæa, ubi accusatus, flagellatus et condemnatus est : Montem Calvariæ, ubi Cruci affixus est.

PUNCTUM I.

Considera, quid passus sit in horto.

Affectus. Quis illi non compatiatur? Quis propinatum Passionis calicem de manu ipsius non admitat?

PUNCTUM II.

Considera, quid in urbe sustinuerit, apud Annam, Caïpham, Pilatum, etc.

Affectus. Hic nulli deesse potest.

PUNCTUM III.

Considera, quæ Christus in monte Calvariae sustinuit, in detractioe vestium, manuum ac pedum perforatione, quæ locutus in Cruce etc.

Affectus. Inspice vulnera pendentis; sanguinem morientis, pretium redimentis; caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum: hæc quanta sint, cogita: hæc in statera cordis tui expende, ut totus tibi figatur in corde, qui pro te totus affixus est in Cruce. August. de Virg.

Colloquium. Provocabit Crucifixus Jesus.

VII. MEDITATIO

PRO DIE SABBATI.

De B. V. Maria.

Præparatio ut pag. 22. Pro constructione loci, pone tibi ob animum Reginam cœli et

terræ super omnes Choros Angelorum exaltatam, et a SS. Trinitate coronatam.

PUNCTUM I.

Considera tam externam, quam internam benedictæ illius Virginis pulchritudinem, de qua Sponsus Cant. 3. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Quidni pulcherrima sit, quæ genuit speciosum forma præ filiis hominum. Certe sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Ps. 45.

Affectus. Et ego ante tam illustre christianæ perfectionis speculum non emundabo maculas animæ? o purissima Virgo, impetra ad hoc mihi gratiam.

PUNCTUM II.

Considera prærogativas, honores, quibus eam exornat SS. Trinitas: Pater ut filiam amat, Filius ut matrem honorat, Spiritus sanctus ut sponsam amplexatur.

Affectus. Quibus te laudibus efferam, nescio, etc.

PUNCTUM III.

Considera benignitatem et misericordiam hujus! Matris in omnes miseros; et quamvis infinities major sit Dei misericordia, hujus tamen infinita quoque est justitia, quam Maria nullatenus exercet.

Affectus. Salve Regina, Mater, etc.

Colloquium ad B. V. suggeretur ab affectu.

III.

BENEDICTIO MENSÆ,
ET GRATIARUM ACTIO POST MENSAM.



BENEDICTIO MENSÆ.

v. Benedicite.

R. Deus.

v. Benedic, Domine, nos et hæc tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie, eleïson.


Pater noster, etc. *secreto*.

v. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

v. Mensæ coelestis participes faciat nos Rex æternæ gloriæ.

R. Amen.



Poterit etiam dici Benedictio sequens :

Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imple omne animal benedictione.

Gloria Patri, etc.

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie,
eleïson.


Pater noster, etc. *secreto*.

v. Et ne nos inducas in tentationem,

r. Sed libera nos a malo.

OREMUS.

Benedic, Domine, nos et hæc tua dona,
quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per
Christum Dominum nostrum. Amen.



GRATIARUM ACTIO POST MENSAM.

v. Benedicamus Domino.

r. Deo gratias.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus,
pro universis beneficiis: qui vivis et regnas
in sæcula sæculorum. Amen.

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie,
eleïson.

Pater noster, etc. *secreto*.

v. Et ne nos inducas in tentationem.

r. Sed libera nos a malo.

OREMUS PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS.

* De profundis clamavi ad te, Domine : *
Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes : * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris , Domine : *
Domine , quis sustinebit ?

Quia apud te propitiatio est , * et propter legem tuam sustinui te , Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus : *
speravit anima mea in Domino.

A custodia matutinā usque ad noctem , *
speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia , * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël , * ex omnibus iniquitatibus ejus.

V. Requiem æternam dona eis , Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

V. A porta inferi.

R. Erue , Domine , animas eorum.

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

V. Domine , exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor , animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum


tribue peccatorum , ut indulgentiam quam semper optaverunt , piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus , per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.

v. Requiem æternam dona eis , Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

v. Requiescant in pace.

R. Amen.



Poterit etiam dici hæc gratiarum actio.

Agimus tibi gratias , omnipotens Deus , pro universis beneficiis tuis : qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Kyrie , eleïson. Christe , eleïson. Kyrie , eleïson.

Pater noster, etc. *secreto.*

v. Sit nomen Domini benedictum.

R. Et hoc nunc , et usque in sæculum.

OREMUS.

Retribuere dignare , Domine , omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum , vitam æternam. Amen.

IV.

PIA SUSPIRIA

PER DIEM USITANDA.

I. *Ad impetrandam remissionem
peccatorum.*

Delicta juventutis meæ et ignorantias
meas ne memineris , Domine. *Ps. 24. 7.*

Respice in me, et miserere mei. *Ps. 24. 17.*

Miserere mei , Domine , sana me , quia
peccavi tibi. *Ps. 40. 4.*

Miserere mei , Deus, secundum magnam
misericordiam tuam. *Ps. 50. 1.*

Veniant mihi miserationes tuæ , et vi-
vam. *Ps. 118. 77.*

Erravi sicut ovis , quæ periit : quære
servum tuum. *Ibid. v. 176.*

Ne intres in iudicium cum servo tuo :
quia non justificabitur in conspectu tuo
omnes vivens. *Ps. 142. 2.*

Surgam , et ibo ad Patrem meum , et di-
cam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram
te , jam non sum dignus vocari filius tuus.
Luc. 15. 18.

Jesu fili David, miserere mei. *Luc. 18. 38.*

II. *Ad impetrandam humilitatem.*

Ego autem sum vermis et non homo :

opprobrium hominum et abjectio plebis.
Ps. 21. 6.

Bonum mihi quia humiliasti me. *Ps.* 118. 71.

Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. *Phil.* 2. 8. Et ego superbiam?

III. *Ad vitæ hujus cognitionem.*

Peregrini sumus, Domine, coram te, et advenæ, sicut omnes patres nostri, Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. 1. *Par.* 29. 15.

Paucitatem dierum meorum nuntia mihi. Ne revoces me in dimidio dierum meorum. *Ps.* 101. 24, 25.

Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. *Num.* 23. 10.

IV. *In angustiis et animi mærore.*

Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea: et anima mea turbata est valde. *Ps.* 6. 2.

Aruit, tamquam testa, virtus mea: et lingua mea adhæsit faucibus meis: et in pulverem mortis deduxisti me. *Ps.* 21. 16.

Domine, ante te omne desiderium meum,

et gemitus meus a te non est absconditus.
Ps. 37. 9.

Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo. *Ps.* 42. 5. 6.

Laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni. *Jerem.* 45. 3.

Tristis est anima mea usque ad mortem.
Matth. 26. 38.

Redde mihi lætitiā salutaris tui. *Ps.* 50. 13.

V. *Ad exercendam resignationem.*

Dominus est : quod bonum est in oculis suis faciat. 1. *Reg.* 3. 18.

Si dixerit mihi : non places, præsto sum : faciat quod bonum est coram se. 2. *Reg.* 15. 26.

Paratum cor meum , Deus , paratum cor meum. *Ps.* 56. 10.

Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. 1. *Mach.* 3. 60.

Fiat voluntas tua. *Matth.* 26. 42.

Domine , quid me vis facere ? *Act.* 9. 6.

VI. *Ad patientiam impetrandam.*

Dominus dedit , Dominus abstulit : sicut Domino placuit , ita factum est : sit nomen Domini benedictum. *Job.* 1. 21.

Si bona suscepimus de manu Domini , mala quare non suscipiamus ? *Job.* 2. 10.

Quoniam ego in flagella paratus sum , et dolor meus in conspectu meo semper. *Ps.* 37. 18.

Calicem salutaris accipiam , et nomen Domini invocabo. *Ps.* 115. 4.

VII. *Adversus tentationes.*

Propitius sit mihi Dominus , ne faciam hanc rem. 2. *Reg.* 24. 7.

Confirma me, Domine Deus, in hac hora. *Judith.* 13. 9.

Miserere mei , Domine , quoniam infirmus sum. *Ps.* 6. 2.

In te eripiar a tentatione. *Ps.* 17. 32.

Salvum me fac Deus ; quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. *Ps.* 68. 1.

Eripe me de luto, ut non infigar. *Ps.* 17. 18.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi: et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. *Ps.* 73. 20.

Averte oculos meos , ne videant vanitatem. *Ps.* 118. 37.

VIII. *Ad fiduciam exercendam.*

Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. *Job.* 13. 15.

Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es. *Ps.* 22. 4.

Mihi autem adhærere Deo bonum est : pōnere in Domino Deo spem meam. *Ps. 72. 27.*

IX. *Exercitium timoris Dei.*

Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus ? et cum quæsierit , quid respondebo illi ? *Job 31. 14.*

Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum , et pondus ejus ferre non potui. *Ibid. v. 23.*

Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. *Ps. 17. 6.*

Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui. *Ps. 118. 120.*

X. *Ad cautelam in loquendo.*

Dixi : Custodiam vias meas , ut non delinquam in lingua mea, pōnam ori meo custodiam. *Ps. 38. 1.*

Pone , Domine , custodiam ori meo , et ostium circumstantiæ labiis meis. *Ps. 140. 3.*

XI. *Ad cognoscendam Dei voluntatem in rebus dubiis.*

Perfice gressus meos in semitis tuis , ut non moveantur vestigia mea. *Ps. 16. 6.*

Emitte lucem tuam et veritatem tuam. *Ps. 42.*

Deus misereatur nostri, et benedicat no-

bis : illuminet vultum suum super nos ; et misereatur nostri. *Ps. 66. 1.*

Notam fac mihi viam in qua ambulem : quia ad te levavi animam meam. *Ps. 142. 10.*

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. *Ibid. v. 11.*

Domine , quid me vis facere ? *Act. 9. 6.*

XII. Postquam statuimus Deo servire.

Convertere, anima mea, in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi. *Ps. 114. 7.*

Elegi abjectus esse in domo Dei magis , quam habitare in tabernaculis peccatorum. *Ps. 83. 11.*

Amodo voca me : Pater meus tu es. *Jerem. 3. 4.*

XIII. Ad divinæ præsentiæ recordationem.

Oculi tui, Domine, multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum , et profundum abyssi ; et hominum corda intuentes in absconditas partes. *Eccli. 23. 28.*

Oculi tui aperti sunt super omnes vias filiorum Adam., ut reddas unicuique secundum vias suas , et secundum fructum adinventionum ejus. *Jerem. 16. 17.*

XIV. Laus Dei, et gratiarum actio.

Repleatur os meum laude, ut cantem glo-

riam tuam, tota die magnitudinem tuam. *Ps.* 70. 9.

Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino: et noli oblivisci omnes retributiones ejus. *Ps.* 102. 1.

Non nobis, Domino, non nobis: sed nomini tuo da gloriam. *Ps.* 113. 9.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? *Ps.* 115. 3.

Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudivisti me: et factus es mihi in salutem. *Ps.* 117. 28.

XV. Amor Dei et cælestis gloriæ.

Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, ostende mihi faciem tuam. *Exod.* 33. 13.

Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus. *Ps.* 26. 7. 8.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum, fortem, vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? *Ps.* 14. 1.

Quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. *Ps.* 72. 23.

Quam dilecta tabernacula tua , Domine virtutum ! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. *Ps.* 83. 1.

Beati qui habitant in domo tua, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te. *Ibid.* v. 5.

Melior est dies una in atriis tuis super millia. *Ibid.* v. 10.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. *Ps.* 119. 5.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. *Ps.* 141. 10.

Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas , ubi cubes in meridie ? *Cant.* 1. 6.

Anima mea desideravit te in nocte. *Is.* 26. 9.

Infelix ego homo , quis me liberabit de corpore mortis hujus ? *Rom.* 7. 24.

Cupio dissolvi, et esse cum Christo. *Phil.* 1. 23.

V.

PRECES PRO SACRIFICIO MISSÆ.

Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO,

QUA INTENTIO FIT AUDIENDÆ MISSÆ.

Domine Deus, ad cujus imaginem creatus sum, da mihi gratiam ut imminenti sacrificio, qua par est reverentia et devotione intersim, illudque una cum sacerdote divinæ Majestati tuæ gratiose offeram:

1. Ad majorem nominis tui honorem, et gloriam, cui soli hoc sacrificium debetur.
2. In memoriam passionis et mortis tuæ, quam ad hujus sacrificii usum fieri præcepisti.
3. In gratiarum actionem pro omni-

bus mihi collatis beneficiis. 4. In satisfactionem omnium mearum culparum ac poenarum, quas sanctissimo sanguini tuo in hoc sacrificio immergo. 5. Ad impetrandam gratiam tuam, et opem in re ista N. 6. Pro charissimis parentibus, amicis et benefactoribus meis, maxime istis NN. 7. Pro fidelibus defunctis, potissimum istis NN. Placeat tibi, Domine, hæc intentio mea, et exaudi me. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dic deinde cum sacerdote et ministro :

Sacerd. Introibo ad altare Dei.

Minist. Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

S. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es, Deus, fortitudo mea, quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus; quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi ; salutare vultus mei, et Deus meus.

S. Gloria Patri, et Filio, et Spiritu sancto.

M. Sicut erat in principio , et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

S. Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

M. Qui fecit cœlum et terram.

S. Confiteor, etc.

M. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducatur te ad vitam æternam.

S. Amen.

M. Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini , beato Michaëli Archangelo , beato Joanni Baptistæ , sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis , et tibi, Pater : quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere , mea culpa , mea culpa , mea maxima culpa : ideo precor beatam Mariam semper Virginem , beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptistam , sanctos Apostolos Petrum et Paulum : omnes sanctos, et te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, et

dimissis peccatis vestris, perducatur vos ad vitam æternam.

M. Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.

M. Amen.

S. Deus, tu conversus vivificabis nos.

M. Et plebs tua lætabitur in te.

S. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine, exaudi orationem meam.

M. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

AD INTROITUM.

Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa Unitas : confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Gloria Patri, qui creavit nos.

Gloria Filio, qui redemit nos.

Gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit nos.

Gloria summæ et individuæ Trinitati, Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.

S. Kyrie, eleïson.

M. Kyrie, eleïson.

S. Kyrie , eleïson.

M. Christe , eleïson.

S. Christe , eleïson.

M. Christe , eleïson.

S. Kyrie , eleïson.

M. Kyrie , eleïson.

S. Kyrie , eleïson.

Corde hic simul dic, quod verba significant : Domine, miserere. Christe, miserere, et dolorem excita.

Dic postea cum sacerdote, si dicendum est :

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus rex cœlestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris , miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus , tu solus Dominus, tu solus Altissimus , Jesu Christe , cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

COLLECTA PRO TEMPORE.

Ad Epistolam et Graduale.

Exaudi, Deus, preces Ecclesiæ tuæ sanctæ, tibi in nomine dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi humiliter supplicantis, ut tuam nobis dexteram porrigas, quæ omnia mala avertat, et in tua nos gratia confirmet. Amen.

ACTUS FIDEI.

Credo, Domine Deus, quidquid per Scripturam, unigenitumque Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, et SS. Apostolos revelasti, mihi que per Ecclesiam, quæ columna est et firmamentum veritatis, credendum proposuisti. In hac catholica Fide per tuam gratiam vivere et mori statuo. Amen.

ACTUS SPEI.

In te, benignissime Pater, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, omnem spem meam ac fiduciam repono. Magna quidem et multa sunt delicta mea; tua tamen infinite major est bonitas, quæ non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat: hac tua immensa bonitate fretus, remissionem omnium meorum peccatorum, et vitam æternam me consecuturum plane confido.

ACTUS CHARITATIS.

Quis te non amet, amantissime Deus, qui in charitate perpetua dilexisti nos, Filiumque tuum unigenitum dedisti pro nobis? Quando, mi Deus, veniam, et apparebo ante faciem tuam, cupitisque complexibus tuis æternum fruam?

AD EVANGELIUM.

Vel attende ad sacerdotem, si illum potes intelligere, vel recita quæ sequuntur.

Domine Jesu, qui ex voluntate Patris tui lætum mundo Evangelium annuntiasti; da gratiam, ut illud intellectu percipiam, voluntate amplectar, memoria conservem, opere compleam : et gregi electarum ovium tuarum, quæ vocem tuam audiunt, ita hic associer, ut eidem in novissimo die ad dexteram tuam conjunctus audire merear : Venite, benedicti, etc.

ORATIO

ANTE CONCIONEM.

Audiam quid loquatur in me Dominus. O Jesu, lux mundi, illumina intellectum meum, ut sensum divini verbi tui percipiam; munda cor meum, ut in eodem opatum faciat fructum. Amen.

Vel dic : Deus, qui corda fidelium etc.
pag. 46.

ORATIO

POST CONCIONEM.

Gratias ago tibi, Domine Deus, quod animam meam verbo tuo reficere dignatus sis. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. *Ps. 118.*

Dic Credo, si dicendum est.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesus Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri : per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis : sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos : cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivifican-

tem : qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam, et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

AD OFFERTORIUM.

O Pater æterne, qui sanctissimum hoc novæ Legis Sacrificium, quo unigenitus Filius tibi offerretur, institui voluisti; hunc et ego divinæ Majestati tuæ, meque in ejusdem unione offero cum omnibus, quæ a tua bonitate mihi sunt concessa : respice in me, et miserere mei. Amen.

AD ORATE FRATRES.

Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis, ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.

Repete hic, si libet: Veni, S. Spiritus, etc. vide pag. 46.

AD PRÆFATIONEM.

Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est. Vere dignum et justum est,

æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere : Domine sancte, Pater omnipotens, æternæ Deus ; per Christum Dominum nostrum. Per quem Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Cœli cœlorumque Virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

ORATIO AD MEMENTO,

Seu ad memoriam pro vivis.

Memento , quæsumus , Domine , per passionem et mortem dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi , in primis Ecclesiæ tuæ sanctæ , eamque ceu Sponsam ejusdem Filii tui protege , sanctifica et exalta : Præsides ac Ministros ipsius Spiritu sancto reple, ut omnes illorum doctrina et exemplo proficiant ad majorem Nominis tui gloriam.

Memento etiam, Domine, parentum meorum, fratrum, sororum et amicorum NN. omniumque, pro quibus orare teneor, et

tu me vis orare. Da his omnibus uberem in præsentī vita gratiam, et gloriam in futura.

AD ELEVATIONEM,

Dic hymnum sancti Thomæ Aquinatis.

Adoro te devote, latens Deitas,
Quæ sub his figuris vere latitas :
Tibi se cor meum totum subjicit ;
Quia te contemplans, totum deficit. (1)

Visus, gustus, tactus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius ;
Nil hoc verbo Veritatis verius.

In Cruce latebat sola Deitas ,
At hic latet simul et humanitas :
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.

Plagas , sicut Thomas , non intueor ,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere ,
In te spem habere , te diligere.

O memoriale mortis Domini !
Panis vivus, vitam præstans homini :
Præsta meæ menti de te vivere ,
Et te illi semper dulce sapere.

(1) Ave , Jesu , Pastor fidelium ,
Adauge fidem omnium in te credentium.

Pie pelicane , Jesu Domine ,
Me immundum munda tuo Sanguine ,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Jesu , quem velatum nunc aspicio ,
Oro fiat illud, quod tam sitio ,
Ut , te revelata cernens facie ,
Visu sim beatus tuæ gloriæ. Amen.

POST ELEVATIONEM CALICIS.

Domine Jesu Christe , vere tu es Deus absconditus , quem sub panis et vini speciebus modo adoravi. Ne sinas, obsecro, ut pretiosus ille Sanguis tuus pro me frustra olim in ara crucis sit effusus ; sed per passionem et mortem tuam in numerum electorum tuorum admitti , et te revelata facie æternum aspicere et amplecti merear. Amen.

AD MEMENTO PRO DEFUNCTIS.

Memento etiam , Domine , famulorum, famularumque tuarum , qui nos præcesserunt cum signo Fidei , et dormiunt in sancta pace.

Ipsis , Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis , ut indulgeas deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis Sanctis NN., intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Orationem Dominicam recita cum Sacerdote.

Pater noster, etc.

Perge cum eodem Sacerdote.

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus et futuris: et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccatis simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eundem Dominum nostrum, etc.

Pax Domini sit semper vobiscum. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. *Sic ter dicitur; tertia autem vice pro Miserere nobis, dicitur: da nobis pacem.*

PRÆPARATIO AD COMMUNIONEM SPIRITUALEM.

Domine Jesu Christe , Fili Dei vivi , qui ex voluntate Patris , coöperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacramentum Corpus et Sanguinem tuum , ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis , et fac me tuis semper inhærere mandatis , et a te numquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui , Domine Jesu Christe , quod ego indignus *spiritualiter* sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem : sed pro tua pietate prosit mihi, ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis, etc.

Dic deinde ter cum Sacerdote :

Domine , non sum dignus , ut intres sub lectum meum, sed tantum dic verbo , et sanabitur anima mea.

*Hic cogita communicare cum Sacerdote ,
et dic :*

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

*Hic Christum quasi præsentem complectere,
et dic :*

Inveni quem diligit anima mea , tenui eum , nec dimittam.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus; mens impletur gratia , et futuræ gloriæ nobis pignus datur.

AD COLLECTAM.

Gratias ago tibi , Domine Jesu, quod me hujus tui sanctissimi Sacrificii participem. fecisti, quo amarissimæ passionis ac mortis tuæ memoriam innovavi. Fac , oro , ut ejusdem Mysterii virtute et operatione , in fide, spe et charitate perseverem, vitamque æternam consequar. Amen.

OBLATIO.

Placeat tibi, sancta Trinitas , obsequium servitutis meæ : et præsta, ut sacrificium, quod oculis tuæ majestatis *cum Sacerdote* indignus obtuli , tibi sit acceptabile, mihi-que et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

AD BENEDICTIONEM.

Benedicat nos omnipotens Deus , Pater, et Filius , et Spiritus sanctus. Amen.

INITIUM S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum : et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat , et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo , cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium , ut testimonium perhiberet de lumine : ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux , sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est : et mundus eum non cognovit. In propria venit : et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum , dedit eis potestatem filios Dei fieri , his qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus , neque ex voluntate carnis , neque ex voluntate viri : sed ex Deo nati sunt. *Et verbum caro factum est* : et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus : gloriam quasi Unigeniti a Patre , plenum gratiæ et veritatis.

M. Deo gratias.

Ps. 116. *Ut omnes gentes Deum laudent.*


Laudate Dominum omnes gentes : * laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : * et veritas Domini manet in æternum..

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Dies et actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens. Amen.



ALIUS MODUS PIE AUDIENDI MISSAM,
PER BREVES MEDITATIONES DE PASSIONE ET
MORTE CHRISTI, PIOSQUE AFFECTUS.



ANTE SACRUM.

Dum Sacerdos expectatur, memineris Cœnæ ultimæ, in qua Christus Sacrificium Missæ instituit, seque nobis omnibus in cibum dedit. Nonne par est, ut hujus charitatis excessum agnoscas?

AFFECTUS.

Agnosco, Domine Jesu, cum dilexisses tuos, in finem vere dilexisti eos. *Joan. 13. 1.*

Ecce enim parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Ps. 22. 6.

Tibi etiam sacrificabo nunc hostiam laudis, et nomen Domini invocabo. Ps. 115. 7.

AD DESCENSUM SACERDOTIS AB ALTARI,
UT MISSAM INCHOET.

Considera Christum a Cæna (quæ in monte Sion est habita) descendentem in hortum Gethsemani. Secuti sunt autem illum et discipuli ejus. Lucæ 22. 39. Et tu in tentatione a Deo tuo recedes ?

AFFECTUS.

Vivit Dominus, quoniam in quocumque loco fueris, Domine mi, ibi erit servus tuus. 2. Reg. 15. 21.

Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Ps. 72. 27.

Domine, tecum paratus sum, et in carcerem et in mortem ire. Lucæ 22. 33.

AD CONFESSIONEM.

Contemplare Christum in agonia orantem, quando factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Lucæ 22. 44. Sanguinem hunc peccata tua expresserunt, et de his non dolebis ?

AFFECTUS.

Quis dabit capiti meo aquam , et oculis meis fontem lacrymarum , et plorabo die ac nocte. *Jerem. 9. 1.*

Pater, peccavi in cœlum et coram te ; jam non sum dignus vocari filius tuus. *Lucæ 15. 18.*

AD OSCULUM ALTARIS, ET INTROITUM.

Considera, quomodo Judas osculo Christum tradat. An non et tu similis es traditor, dum exiguam voluptatem , posthabito Jesu , amplecteris ?

AFFECTUS.

Ne reputes mihi , Domine mi , iniquitatem , neque memineris injuriarum servi tui. *Reg. 19. 19.*

Iniquitatem meam ego cognosco. *Ps. 50. 4.*
Domine, miserere mei. *Ps. 50. 4.*

AD KYRIE ELEÏSON.

Meditare ternam Petri negationem , qui non resipuit , nisi postquam Dominus illum respexit. Lucæ 22. 61. Quoties et tu Dominum tuum Jesum coram hominibus erubescis, et negas ? quando resipisces ?

AFFECTUS.

Peccavi , Domine. 2. *Reg. 12. 15.*

Ne projicias me a facie tua. *Ps.* 50. 12.

Respice in me, et miserere mei. *Ps.* 24. 16.

AD GLORIA, SI DICATUR.

Meditare Judæorum exultationem ad Christi opprobria et cruciatus. An non et tu inter illos es, qui exultant in rebus pessimis? Prov. 2. 14.

AFFECTUS.

Quid loquar, aut juste potero obtendere? Deus invenit iniquitatem servi tui. *Gen.* 44. 16.

Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis. *Ps.* 84. 4.

Lætabor et exultabo in te, Domine. *Ps.* 9. 2.

AD COLLECTAM, EPISTOLAM, ET GRADUALE.

Meditare collectas populi accusationes, illusiones, alapas, sputa, etc. quæ Christus in domo Annæ et Caïphæ subiit. Joan. 18. 22. *Christus tamquam agnus coram ton-dente se obmutuit; tu vero tam facile ex-candescis, et in alios inveheris?*

AFFECTUS.

Ubi est fortitudo et patientia tua? *Job.* 4. 6.

Tu es patientia mea, Domine. *Ps.* 70. 5.

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiæ. *Ps.* 140. 3.

AD EVANGELIUM, QUOD SACERDOS AD ALTERAM
ALTARIS PARTEM TRANSIENS, LEGIT.

Meditare, quomodo Christus a Caïpha ad Pilatum raptus, et de doctrina sua Evangelica interrogatus, et reprehensus fuerit. Lucæ 23. Quanti tu tam pretiosam Jesu doctrinam facis? Quam sollicite illam excipis, aliisque tradis?

AFFECTUS.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injus-
titia. *Ps. 118. 133.*

Lucerna pedibus meis verbum tuum.
Ibid. v. 105.

Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te
convertentur. *Ps. 50. 14.*

AD CREDO, SI DICATUR.

Meditare, quomodo Christus a Pilato mittatur ad Herodem, et ab hoc (cum speratum signum non impetrasset) in veste alba tamquam homo fatuus, cui credendum non sit, ad Pilatum remittatur. Lucæ 23. Nonne et tu inter illos es, qui ut credant, volunt a Christo signum videre? Matth. 12. 59.

AFFECTUS.

Beati, qui non viderunt, et crediderunt.
Joan. 20. 29.

Credo, Domine ; adjuva incredulitatem meam. *Marc. 9. 23.*

In fide vivo Filii Dei , qui dilexit me , et tradidit semetipsum pro me. *Gal. 2. 20.*

AD OBLATIONEM.

Meditare Christi resignationem, et oblationem sui ad omnia pro gloria Patris sui, et redemptione generis humani toleranda. Ps. 39. Quam tu paratus es ad tolerantiam rerum adversarum ?

AFFECTUS.

Et ego in flagella paratus sum. *Ps. 37. 18.*

Calicem salutaris accipiam , et nomen Domini invocabo. *Ps. 115. 4.*

Confirma hoc, Deus, quod operatus es in me. *Ps. 67. 31.*

AD LOTIONEM MANUUM.

Meditare Pilatum excusationem iniquissimi facti sui lotione manuum suarum quæsisse, re ipsa autem scelus non evitasse. Matth. 27. 24. Quoties et tu peccata tua occultare, et excusationem illis prætere niteris , sicque illa potius auges quam minuis ?

AFFECTUS.

Confitebor adversum me injustitiam meam Domino. *Ps. 31. 6.*

Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita. *Ps. 68. 6.*

Si voluero contendere tecum, non potero tibi respondere unum pro mille. *Job. 9. 3.*

AD ORATE FRATRES.

Meditare Christum a Pilato condemnandum populo in corona spinea, vesteque purpurea sisti. Joan. 19. 4. Quomodo subsistes, o homo, ubi coram iudice Christo in novissimo die comparebis?

AFFECTUS.

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus? *Job. 14. 13.*

Dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo : Noli me condemnare. *Job. 10. 1.*

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. *Ps. 50. 6.*

AD PRÆFATIONEM.

Meditare eosdem Judæos, qui quinque ante diebus Hosanna Christo acclamarunt, nunc vociferari : Crucifige, crucifige eum. Joan. 19. 6. Numquid similis in te est inconstantia?

AFFECTUS.

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. *Ps.* 16. 6.

Confirma me in verbis tuis. *Ps.* 118. 28.

Tenebit me dextera tua. *Ps.* 138. 9.

SUB CANONE.

Meditare, quomodo Jesus bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum. *Joan.* 19. 17. *Audisne vocem Christi?* Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. *Matth.* 16. 24.

AFFECTUS.

Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. *Cantic.* 1. 3.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. *Gal.* 6. 14.

Excamus igitur ad eum extra castra, improprium ejus portantes. *Hebr.* 13. 13.

AD ELEVATIONEM SACRÆ HOSTIÆ.

Meditare, Christum manibus pedibusque cruci affixum, toti orbi spectabilem proponi. *Marc.* 15. 25. *Vide, o homo, Redemptorem tuum; quo hactenus affectu illum complexus es, qui expansis hic brachiis te ad amplexum suum invitat?*

AFFECTUS.

Dilectus meus mihi, et ego illi. *Cant.* 2. 16.

Nuntiate ei quia amore langueo. *Ibid.* 5. 8.

Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque creatura ulla poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Rom.* 8. 35. 38.

AD ELEVATIONEM CALICIS.

Meditare, quam copiose Christus ex sacris quinque vulneribus sanguinem in ablutionem peccatorum tuorum effuderit. Quin, o peccator, accurris, ut munderis, hauriasque in gaudio de fontibus Salvatoris? Isaïæ 12. 3.

AFFECTUS.

Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. *Ps.* 50. 3.

Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? *Job.* 14. 4.

Cor mundum crea in me, Deus. *Ps.* 50. 11.

POST ELEVATIONEM.

Meditare, quomodo, Christo crucifixo, a sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.

Matth. 27. 45. Quales erunt tenebræ infernales ! Matth. 25. 30.

AFFECTUS.

Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum : antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine. *Job. 10. 20.*

Forsitan tenebræ conculcabunt me. *Ps. 138. 10.*

AD MEMENTO PRO DEFUNCTIS.

Illuminare, *o Jesu*, his qui in tenebris et in umbra mortis sedent. *Lucæ 1. 79.*

AD PATER NOSTER.

Meditare septena Christi verba, ab ipso in cruce prolata. 1. Christus pro inimicis oravit; quid tu facis? 2. Latro pœnitens cœlum obtinuit; discere tam serio (non tam sero) agere pœnitentiam. 3. Mater Joanni, hic illi commendatur; cui te melius commendes? 4. Christus se derelictum queritur, et tu solatia tibi deberi putes? 5. Sitivit Christus salutem tuam, et tu eam nauseas? 6. Christus consummatum esse tormentum suum indicavit; sic omnia tua bona et mala consummabuntur. 7. Denique spiritum tuum, exemplo Christi, commenda in manus Patris tui cœlestis. Lucæ 23. 46.

AFFECTUS.

1. Et nos dimittimus debitoribus nostris.
Matth. 6. 12.

2. *Fac et me audire* : Hodie mecum eris
in paradiso. *Luce* 23. 43.

3. *O Maria*, ecce ego filius tuus. *Joan.*
19. 26.

4. Ne derelinquas me, Domine Deus
meus, ne discesseris a me. *Ps.* 37. 22.

5. Sitivit in te anima mea. *Ps.* 62. 2.

6. *Felix*, qui cursum consummavit, fidem
servavit. 2. *Tim.* 4. 7.

7. In manus tuas commendo spiritum
meum. *Luce* 23. 46.

AD DIVISIONEM S. HOSTIÆ.

Meditare animæ Christi a corpore separationem. *Matth.* 27. 50. Statutum est omnibus hominibus semel mori. *Hebr.* 9. 27.

AFFECTUS.

Moriatur anima mea morte justorum !
Nun. 23. 10.

Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus. *Rom.* 14. 8.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur.
Apoc. 14. 13.

AD AGNUS DEI, SACERDOTE PECTUS TUNDENTE.

Meditare, quomodo multi eorum, qui

viderant Christum in cruce morientem, percutientes pectora sua, redierunt. Lucæ 58. 48. An non et tuum pectus in signum veri doloris de peccatis tuis percutias?

AFFECTUS.

Percutio, Domine, cum publicano pectus meum, et dico : Propitius esto mihi peccatori. *Lucæ. 18. 23.*

Et nunc, Domine, memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris dilecta mea, vel parentum meorum. *Tob. 3. 3.*

Cito anticipent nos misericordiæ tuæ. *Ps. 78. 8.*

AD COMMUNIONEM SACERDOTIS.

Meditare sepulturam Christi. Joan. 19. 41. Petit is a te pro sepulchro cor tuum.

AFFECTUS.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. *Ps. 56. 10.*

Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. *Ps. 131. 8.*

Gaudebit tecum cor meum. *Prov. 23. 15.*

AD COLLECTAS ULTIMAS, SEU PRECES, QUAS ELATA VOCE LEGIT AUT CANIT SACERDOS.

Meditare lætæ ac gloriosæ Christi resurrectionem. Marc. 16. 6. Mortui estis

(*inquit Apost. ad Coloss. 3. 3.*) et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.

AFFECTUS.

Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. *Phil. 3. 20. 21.*

Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? *Ps. 41. 2.*

Cupio dissolvi, et esse cum Christo. *Phil. 1. 23.*

AD BENEDICTIONEM.

Meditare, quomodo Christus in cælum ascendens benedixerit Discipulis suis. Marc 16. 19. In hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. 1. Pet. 3. 9.

AFFECTUS.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ. *Ps. 27. 12.*

Benedicat nos, Deus, Deus noster, benedicat nos, Deus. *Ps. 66. 6.*

Beati, qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. *Ps. 83. 5.*

OBLATIO PERACTI SACRIFICII.

Suscipe, sancta Trinitas, sacrificium hoc Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quod divinæ Majestati tuæ in me-

moriam ejusdem passionis et mortis obtuli :
cujus infinitis meritis, oro, delicta, et ne-
gligentiæ meæ omnes compensentur. Quo-
niam ipse est propitiatio pro peccatis
nostris. Amen. 1. *Joan.* 4. 10.

AFFECTUS

*Amantis animæ in Deum hominem pro
nobis crucifixum S. Francisci Xaverii.*

O Deus, ego amo Te,
Nec amo Te, ut salves me,
Aut, quia non amantes Te
Æterno punis igne.

Tu, tu, mi Jesu, totum me
Amplexus es in cruce,
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores et angores,
Ac mortem. Et hæc propter me,
Ac pro me peccatore!

Cur igitur non amem Te,
O Jesu amantissime?
Non, ut in cœlo salves me
Aut, ne æternum damnes me :
Nec præmii ullius spe ;
Sed, sicut Tu amasti me,
Sic amo, et amabo Te :

Solum, quia Rex meus es,
Et solum, quia Deus es. Amen.

PRECES

RECITARI SOLITÆ IN MISSIS PRO FIDELIBUS
DEFUNCTIS.

Jesu , Salvator mundi , exaudi preces
supplicum.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem
vos, amici mei ; quia manus Domini teti-
git me.

Noctem verterunt in diem, et rursum
post tenebras spero lucem.

Jesu, Salvator etc.

Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit
os meum.

Miseremini, etc.

Quare persequimini me sicut Deus, et
carnibus meis saturamini ?

Jesu , Salvator, etc.

Requiem æternam dona eis, Domine , et
lux perpetua luceat eis.

Miseremini, etc.

Sequentia e Missa Defunctorum.

Dies iræ , dies illa
Solvat sæculum in favilla ,
Teste David cum Sybilla.

Quantus tremor est futurus,
Quando Judex est venturus
Cuncta stricte discussurus !

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura,
Cum resurget creatura,
Judicanti responsura.

Lib'r scriptus proferetur ,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.

Judex ergo cum sedebit ,
Quidquid latet , apparebit :
Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus ?
Quem patronum rogaturus ,
Cum vix justus sit securus ?

Rex tremendæ Majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me , fons pietatis.

Recordare , Jesu pie ,
Quod sum causa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.

Quærens me sedisti lassus,
Redemisti crucem passus,
Tantus labor non sit cassus.

Juste judex ultionis ,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.

Ingemisco tamquam reus,
Culpa rubet vultus meus ,
Supplici parce , Deus.

Qui Mariam absolvisti ,
Et latronem exaudisti ,
Mihi quoque spem dedisti.

Preces meæ non sunt dignæ :
Sed tu bonus fac benigne ,
Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum præsta ,
Et ab hædis me sequestra ,
Statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis ,
Flammis acribus addictis ,
Voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis ,
Cor contritum quasi cinis ,
Gere curam mei finis.

Lacrymosa dies illa ,
Qua resurget ex favilla
Judicandus homo reus !

Huic ergo parce , Deus :
Pie Jesu Domine ,
Dona eis requiem.

Amen.

Miserere mei, Deus, * secundum magnam
misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum
tuarum : * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea , * et
a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco,
 * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci :
 * ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,
 * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti :
 * incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor :
 * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiā,
 * et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis,
 * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus,
 * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua,
 * et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiā salutaris tui,
 * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas,
 * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus,
 * Deus salutis meæ,
 * et exultabit lingua mea
 justitiā tuam.

Domine, labia mea aperies,
 * et os meum annuntiabit
 laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique : * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : * cor contritum et humiliatum , Deus , non despicias.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua, Sion : * ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ , oblationes, et holocausta : * tunc imponent super altare tuum vitulos.

De profundis etc. *Vide supra, p. 35.*

Requiem æternam, etc.

Et lux perpetua, etc.

Libera me, Domine, de morte æterna, in die illa tremenda :

Quando cœli movendi sunt et terra :

Dum veneris judicare sæculum per ignem.

Tremens factus sum ego, et timeo , dum discussio venerit, atque ventura ira.

Quando, etc.

Dies illa , dies iræ, calamitatis et miseriæ , dies magna , et amara valde.

Dum veneris, etc.

Requiem æternam dona eis , Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Libera, etc.

Kyrie , eleïson. Christe , eleïson. Kyrie, eleïson.

Pater noster, etc. *secreto*.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. A porta inferi.

R. Erue , Domine , animas eorum .

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus , qui inter Apostolicos Sacerdotes , famulos tuos Pontificali (*seu* Sacerdotali) fecisti dignitate vigere : præsta , quæsumus , ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniæ largitor et humanæ salutis amator : quæsumus clementiam tuam , ut nostræ congregationis fratres , propinquos et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt , beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium , Deus , omnium Conditor et Redemptor , animabus famulorum , famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum ; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas, etc. 6

v. Requiem æternam dona eis, Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

v. Requiescant in pace.

R. Amen.

In die Commemorationis omnium defunctorum, omissis precibus, dicitur Oratio præcedens : Fidelium, Deus, et in fine : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

R. Amen.

v. Requiem æternam, etc.

R. Requiescant, etc.

In die obitus vel depositionis.

ORATIO.

Absolve, quæsumus, Domine, animam famuli tui N. (*vel* famulæ tuæ N.) ut defunctus (*vel* defuncta) sæculo tibi vivat : et quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum, etc.

Pro defuncto Episcopo.

ORATIO.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulum tuum N. Pontificali fecisti dignitate vigere : præsta, quæsumus, ut eorum

quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum nostrum, etc.

Pro Sacerdote dicitur eadem Oratio : sed loco Pontificali dicitur Sacerdotali.

Pro patre vel matre defuncta.

ORATIO.

Deus, qui nos patrem et matrem honorare præcepisti : miserere clementer animæ patris mei N. (*vel* matris meæ N.) meque eum (*vel* eam) in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum, etc.

Pro utroque simul dicitur animabus patris et matris meæ, meque eos, etc.

Pro defunctis fratribus, propinquis, benefactoribus. Oratio : Deus veniæ etc. ut supra p. 81.

VI.

PRECES ANTE CONFESSIONEM.

ORATIO

Examine conscientię præmittenda , ad agendas Deo gratias pro beneficiis acceptis, atque etiam ad peccatorum cognitionem et veram de iis contritionem obtinendam.

O clementissime Deus, gratias tibi ago maximas , quod , spectata summa mea negligentia , in graviora etiam peccata non cecidi, et in hoc miserrimo meo statu, te miserante, non sum mortuus; etsi adhuc ingratum me semper præbui, jam equidem firmiter statuo, grato usque animo pro tantis beneficiis te laudare atque benedicere Deum meum ac Dominum, in sæcula sæculorum. Amen.

Illumina me, Domine, qui observasti omnes vias meas, et vestigia pedum meorum considerasti. O ! veni lux vera , et pelle tenebras cordis mei, ut videam quid in me displiceat Tibi, et ut omnia peccata mea corde contrito deflere, eaque rite confiteri, et serio emendare valeam.

Suscipe confessionem meam, et parce mihi, benignissime Domine Jesu Christe , quem ego peccator non sum dignus nomi-

nare, quia te multum offendi , mea culpa , mea culpa, mea maxima culpa. Ecce flector coram Te supplex, o Deus, o Bonitas infinita, et confundor , et erubesco levare faciem meam ad Te , quoniam iniquitates meae multiplicatae sunt, et sicut onus grave gravatae sunt super me. Sed Tu, clementissime Jesu , propitius esto mihi peccatori. Ne in furore tuo arguas me, Domine, neque proicias me a facie tua, o bone Jesu , qui dixisti: Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat. Suscipe , quæso , me poenitentem, et ad Te corde contrito reverentem. Tu Salvator meus es, et Deus meus, ego servus tuus , quamvis malus , quamvis indignus et peccator. Sed parce, o pie Jesu, qui in cruce mortuus es, ut peccatores salvos faceres. Ad quem confugiam , nisi ad Te, qui spes mea es et salus mea? si tu me rejicis , quis me recipiet? quem adiutorem quaeram? quis me debitur iniquitatibus meis? Miserere mei , o benignissime Domine, et servi tui cor contritum et humiliatum ne despicias. Da mihi, obsecro, veram et perfectam peccatorum meorum contritionem, ut illa ex intimo cordis dolore detester. Emitte, piissime Deus, meritis Immaculatæ Virginis Mariæ et Sanctorum tuorum , lucem tuam in animam meam , quæ omnes

defectus meos mihi ostendat, quos jam confiteri me oportet.

Adjuva me gratia tua, ut illos integre, humiliter, et corde contrito sacerdoti vicario tuo explicare, de illis dolere, et plenam omnium remissionem a tua bonitate infinita obtinere possim. Amen.

O clementissimo Virgo, Jesu Christi Redemptoris mei mater dilectissima, miserere mei, et intercede pro me ad Dominum Jesum Filium tuum, et Deum meum. Impetra mihi plenam eorum remissionem, et perfectam vitæ emendationem, ad animæ meæ salutem, et tuam tuique Filii Jesu gloriam sempiternam. Amen.

Eandem a te gratiam submisce peto, o sancte mi Custos Angele, et a vobis, o sancti Patroni mei, sancte Petre, sancta Magdalena, et omnes Sancti et Sanctæ Dei; intercedite pro me peccatore, de peccatis poenitentiam agente, jamque ea confiteri et emendare volente. Amen.

Hac oratione examini præmissa, cogita, tibi præsentem esse Deum Judicem, cujus oculis nuda et aperta sunt omnia. Recogita peccata tua in amaritudine animæ tuæ, et diligenter inquire in omnes tuas cogitationes, verba, opera, etc.

TABULA PECCATORUM

QUIBUS HOMO MAXIME OBNOXIUS ESSE SOLET.

—
COGITATIONES.TOTIES.... inhæsi voluntarie cum consensu
cogitationibus

Superbis, .
Impuris ,
Invidiosis ,
Iracundis cum odio ,
Vindicativis ,
Suspiciosus , cum temerario iudicio,
Fraudentis,
Blasphemis,
Hæreticis,
Desperabundis.

VERBA.

TOTIES.... cum scandalo vel detrimento
proximi locutus sum verba

Superba ,
Impudica ,
Irrisoria ,
Maledica ,
Execratoria ,
Blasphema ,
Detractoria ,

Contumeliosa ,
Mendacia , cum juramento ,
Seductoria.

OPERA.

TOTIES.... peccavi his operibus :

Neglexi ista....

Pecuniam inutiliter impendi.

Orationes ad quas obligor , omisi.

Concionem neglexi.

Dies Festos male impendi.

Jejunia violavi.

Superbus fui.

Avarus et durus in pauperes.

Impudicus mecum vel cum aliis.

Intemperans in cibo et potu.

Segnis in rebus divinis.

Injuriam feci.

Furatus sum tantum....

Fraudes exercui.

Læsi in corpore vel honore alium.

Inobediens fui.

Seduxi alios.

Scandalum dedi, grave, tot et talibus, etc.

EXAMEN PRO CONFESSIOE GENERALI.

Circa peccata gravia, et numerus quantum fieri potest, et circumstantiæ notabiliter aggravantes, aut speciem malitiæ mutantēs,

necessario explicandæ sunt. Nec reticendum est, si alios ad flagitia seduxerimus, vel scandalum dederimus.

I. PRÆCEPTUM DECALOGI.

Ego sum Dominus Deus tuus : non habebis deos alienos coram me, nec facies tibi sculptile, ut adores illud.

Feci *toties* confessiones sacrilegas, omit-
tendo voluntarie unum vel plura gravia
peccata, vel non eliciendo dolorem et pro-
positum serio me emendandi. In tali statu
toties.... communionem frequentavi.

Pœnitentiam in confessione impositam
non implevi.

Dubitavi de aliquo fidei articulo adver-
tenter et voluntarie, nec restiti, *toties*.

Legi libros hæreticos, supersticiosos, pro-
hibitos, etc. Dedi eosdem *tot* aliis legendos...

Gravibus superstitionibus fidem adhibui,
iis usus sum, et alios in easdem induxi....

Desperavi de emendatione vitæ, vel
impetranda peccatorum meorum venia.
Confessionem diu distuli, etiam in vitæ
periculo constitutus. Murmuravi contra
Deum, vel eundem blasphemavi.

Complacentiam habui in *tali* peccato
commisso... et de illo gloriatus sum.

II. PRÆCEPTUM.

*Non assumes nomen Domini Dei tui in
vanum.*

Juravi falsum (vel dubitans de veritate)
per Deum, vel animam, etc.

Cum juramento promisi me malum grave
facturum, animo servandi.... *Hoc vero ju-
ramentum servare non licet.*

Rem licitam juravi animo non servandi...

Affirmavi falsum cum imprecatione, v.g.:
Deus me puniat; non fiam salvus; diabolus
me auferat; non discedam ex hoc loco, etc.

*Maxime cavendæ sunt formulæ hujus-
modi : Quam vere Deus vivit, etc.*

Votum hoc feci, et non servavi....

Verba sacra ad facetias et inhonesta ap-
plicavi...

III. PRÆCEPTUM.

Memento ut diem Sabbati sanctifices.

Missam die Dominico vel Festo non au-
divi, cum possem, vel notabilem illius
partem neglexi. In eadem multum fabula-
tus sum.... Alios quoque in illa turbavi.

*Ecclesiastici et Religiosi hic circa Horas
canonicas sese examinent.*

Feci opera servilia diebus Dominicis vel
Festis.... vel hos dies computationibus,

pravis colloquiis, occupationibus lacerosis, aut profanis, cum neglectu concionum, etc. transegi, vel per meos ejusmodi res fieri permisi....

IV. PRÆCEPTUM.

*Honora patrem tuum et matrem tuam ,
ut sis longævus super terram.*

Parentibus aut superioribus in re gravi inobediens fui, illos læsi, vel execratus sum, vel mortem optavi. In rebus decentibus me iis opposui, detraxi, etc.

Non subveni parentibus in necessitate, cum possem. Testamentum illorum et ultimam voluntatem non sum executus...

Videant parentes, an e contrario liberos ad iracundiam provocaverint, hos aut domesticos suos in rebus divinis impederint, etc.

V. PRÆCEPTUM.

Non occides.

Odio gravi aliquem sum persecutus tam diu, vulneravi, aut aliter læsi, vel id facere optavi; non me conciliavi ei, dum ad Sacramenta Confessionis et Communionis irem.

Optavi aliis mortem, vel damnum; aut gavisus sum, dum mors aut malum illis eveniret.

De bono illorum dolui.

Affeci alios injuria, calumniis, contumeliis, etc. Suscitavi inter illos per susurrationem, aut similes modos, discordias.

Miseris in extrema necessitate, cum possem, non subveni.

VI. ET IX. PRÆCEPTUM.

Non mæchaberis : Non concupisces uxorem proximi tui.

Qui in statu conjugali degunt, examinent se, an re aut modo contra hujus status decentiam deliquerint. Non enim conjunguntur Christiani, sicut gentes, quæ ignorant Deum. Tob. 8. 5. Filii quippe Sanctorum sumus.

Cogitationibus lascivis voluntarie inhæsi, iisque me oblectavi, cum desiderio peccandi circa personas liberas, vel conjugatas, vel, etc. *toties.*

Osculis, aspectu, vel impuro contactu *hac vel illa ratione*, mecum vel cum aliis peccavi, *toties.*

Verbis, cantilenis, libris impuris sum usus, aliosque seduxi.

Munusculis, blanditiis, etc. ad peccandum conatus sum allicere.

In consuetudine talium peccatorum hæsi, *tamdiu.*

Quæ præterea circa hanc materiam committi possunt, cuilibet conscientia dictabit. Omnia vero clare, breviter, et verecunde aperienda sunt tamquam gravissima, ut plurimum, animæ vulnera.

VII. ET X. PRÆCEPTUM.

Non furtum facies : Non concupisces domum, non agrum, etc.

Proximo per furtum, fraudem, vel alium illicitum modum, grave damnum intuli.

Volui damnum alii inferre, effectu tamen ob defectum occasionis non secuto. Lucrum aliorum impedi.

Chartarum vel alearum lusu, potationibus, otio, aliisque similibus modis facultates proprias, parentum, prolium, etc. inutiliter consumpsi.

Injustas lites et processus suscitavi vel fovi.

Debita persolvere distuli, neglexi, nolui.

Bene consideranda est sententia S. Augustini. Epist. 54. ad Maced. post. med. Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur poenitentia, sed fingitur. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

VIII. PRÆCEPTUM.

*Non loqueris contra proximum tuum
falsum testimonium.*

Mentitus sum cum damno proximi.

Detraxi graviter alienæ famæ, falsum crimen illi affigendo : vel occultum, licet verum, cum infamatione proximi detegendo, secreta revelando, etc.

Temere alios judicavi in re gravi, etc.

Detrahentibus aures et animum præbui, promovi illorum sermones, laudavi, et, cum possem impedire, id non feci, etc. adulatus sum, etc.

*Tam ad restitutionem ablati honoris,
quam fortunarum, quisque obligatur.*

Susurronem egi. De quo crimine supra quoque facta est mentio; prætereundum illud non est, cum sit gravissimum, et hoc tempore usitatissimum, de quo Eccli. 28. 16. Susurro et bilinguis maledictus.

Tametsi pleraque peccata hic insinuata sunt, juvabit tamen, ne quid notabile prætereas, percurrere, quinque Ecclesiæ præcepta, peccata capitalia, peccata in Spiritum Sanctum, peccata in cælum clamantia, peccata aliena. Quæ proinde subijcimus.

QUINQUE PRÆCEPTA ECCLESIAE.

1. Statutos Ecclesiæ festos dies celebra-

to. 2. Sacrum Missæ officium diebus Festis reverenter audito. 3. Indicta certis diebus jejunia, et a quibusdam cibis abstinentiam observato. 4. Peccata tua sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate, singulis annis confitetur. 5. Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa Festum Paschæ, sumito.

Anno 21. ætatis completo, tenetur quilibet ad jejunium Ecclesiasticum in Quadragesima, quibusdam Vigiliis, Quatuor anni Temporibus, etc. nisi aliunde excusetur.

SEPTEM PECCATA CAPITALIA.

1. Superbia. 2. Avaritia. 3. Luxuria. 4. Invidia. 5. Gula. 6. Ira. 7. Acedia.

Quædam Superbiæ peccata enumerata sunt circa I. Præceptum pag. 89. Avaritiæ circa VII. Præcept. pag. 93. Luxuriæ circa VI. et IX. Præcept. Invidiæ et Iræ circa V. Præcept. Si quid ibi præteritum, hic supple, simulque indaga in Gulæ vitia, ebrietatem, intemperantiam in cibo, uti et in Acediam, etc.

SEX PECCATA IN SPIRITUM SANCTUM.

1. Præsumptio de misericordia Dei, vel de impunitate peccati. 2. Desperatio. 3. Agnitæ veritatis impugnatio. 4. Fraternæ charitatis invidentia. 5. Obstinatio. 6. Impœnitentia.

QUATUOR PECCATA IN COELUM CLAMANTIA.

1. Homicidium voluntarium. 2. Peccatum sodomiticum. 3. Oppressio pauperum, viduarum, atque pupillorum. 4. Merces operariorum defraudata.

NOVEM PECCATA ALIENA HIS DUOBUS VERSIBUS EXPRIMUNTUR :

1. Jussio, 2. consilium, 3. consensus, 4. palpo, 5. recursus. 6 Participans, 7 mutus, 8. non obstands, non manifestans.

Examine conscientiae rite peracto, eliciantur actus Fidei, Spei et Charitatis; præterea una alterave ex sequentibus orationibus eligatur, quam excipiat actus contritionis.

I. ORATIO.

Juxta exemplum S. Petri, quando quis in peccata, quæ emendare statuerat, rursus incidit.

Ad te, Domine Jesu, denuo supplex revertor, qui peccando a te toties discessi : quo enim ibo, nisi ad te? si tu me repellis, quis me suscipiet? si tu me condemnas, a quo veniam sperabo? firmissime quidem antehac statueram servare justificationes tuas, omniaque peccata, potissimum illa.... vitare; sed eheu! instabilis factus sum, et concupiscentiæ illecebris seductus, te ite-

rum dereliqui. Peccavi, quid faciam? quo me convertam miser, nisi ad te, in quo est salus, vita, et resurrectio nostra? Respice in me, Domine Jesu, quemadmodum in Petrum respexisti, et miserere mei. Utinam dolorem cordis mei tot lacrymis, quot ille, contestari possem! In tua misericordia, mi Jesu, quæ major est, quam mea sit iniquitas, spem omnem pono. Plus tu potes dimittere, quam ego committere. Ne projicias me a facie tua. Dic animæ meæ: *Salus tua ego sum.* Ps. 34. 3.

II. ORATIO.

Juxta exemplum S. Mariæ Magdalene.

Luc. 7.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte peccata mea, quibus te, amantissime Jesu, toties ad iram provocavi? Ad pedes tuos cum Magdalena provolvor, eosque ex animo amplector et exosculor, tuam supplex misericordiam implorans. Parce, Domine, parce peccatis meis: quæ utinam tam largo lacrymarum imbri, quam peccatrix illa, possem eluere! Harum defectum, mi Jesu, roseo tuo, quem pro me copiosissime fudisti, sanguine compensa. A pedibus tuis non discedam: hos firmiter

tenebo, tamquam salutis meæ anchoram, nec dimittam, donec benedixeris mihi, et audiam illa summæ consolationis verba: *Remittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9. 2.

III. ORATIO.

Juxta exemplum Filii prodigi. Luc. 15.

Pater, peccavi in cœlum, et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus. Desideriis et concupiscentiis meis obtemperavi, te fidelissimo Patre contempto. Fodi mihi cisternas consolationum terrenarum, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, te fonte aquæ vivæ derelicto. Gaudium in creaturis quæsivi, quod in te solo inveniri potest. Vere *non est pax impiis.* Quare ad te redeo, o benignissime Pater, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus. Iterum exclamo: Pater, peccavi in cœlum, et coram te: redde mihi, obsecro, licet filii nomine indigno, gratiæ tuæ vestem, quam peccatis meis perdidici: restitue amoris tui annulum, quem amore creaturarum pessumdedi; ut hoc ornatu in cœna tua Eucharistica gratosus comparere merear, tibi quæ æternum conjungi. *Mihi enim adhærere Deo bonum est.* Ps. 72. 28.

IV. ORATIO.

*Juxta exemplum Zachæi, ad restitutionem
famæ, vel bonorum ablatorum.*

Confiteor adversum me injustitiam meam
tibi, Domine ; inique egi, non modo contra
divinæ Majestatis tuæ honorem, verum
et proximi mei charitatem, quem ut diligere
sicut meipsum, præcepisti. Sæpe,
fateor, graviterque contra hoc tuum præ-
ceptum peccavi : cupidus, heu ! nimium
fui rerum temporalium, aliorum damno :
nimis laudis propriæ appetens, aliorum
contemptu. Quid tandem proderit mihi,
si universum mundum lucratus fuero, ani-
mæ vero meæ detrimentum faciam ? quid
ex mundi gloria mihi erit, si ad infernum
descendam ? quid a cœlo, quid a terra spe-
rare possum, te Deo meo offenso ? Agnosco,
Deus meus, inique me hactenus egisse, et
in multis proximo injuriam intulisse :
ignosce culpam agnoscenti. In satisfactio-
nem, et tuæ voluntatis adimplentionem,
propono et statuo, te adjuvante, omnium
damna a me sive in honore, sive in bonis
proximo illata, quantum possum, resarcire,
et aliquam insuper eleemosynam elargiri.
Aufer a me, quod hactenus fovi, cor lapi-
deum, durum et invidum ; et redde cor

carneum, cor humanum, cor mite, tuæque benignitati conforme, ut et ego inter filios Abrahæ a te electos recenseri merear. Tu enim *venisti saluum facere quod perierat*. Luc. 18. 19.

V. ORATIO.

Juxta exemplum Latronis in cruce, si quis poenitentiam distulerit.

Sero ad te venio, o Jesu crucifixe ! tempus est, ut me tibi conciliem : quot enim juvenes æque ac senes mors interea abstulit, dum ego peccatis indulsi ? an non et ego una cum illis e medio tolli æternumque damnari potuissem ? quid te, mi Jesu, movit, ut mihi præ aliis parceres, nisi bonitas tua infinita ? Ne ergo me, quæso, nunc a te repellas ; nemo umquam serio poenitens ad te sero nimis venit. Latroni in cruce ultimo vitæ articulo condonasti, quidquid omnibus vitæ suæ annis peccavit, eodemque die in Paradisum recepisti. Per insigne hoc tuæ misericordiæ et clementiæ opus, te supplex cum eodem latrone (utinam pari amoris et doloris affectu) oro, o Jesu Nazarene, miserere mei, et in tuam licet indignum me gratiam recipere. Fateor amarissimæ tuæ Passionis et Crucis causam esse delicta mea, quæ

proinde ex animo nunc detestor cum firmissimo proposito ea deinceps cum tua gratia numquam repetendi. Miserere mei, o Jesu, miserere mei, qui *misereris omnium propter pœnitentiam*. Sap. 11. 24.

VI. ORATIO.

Juxta parabolam ovis perditæ. Luc. 15.

Erravi sicut ovis, quæ periit, Pastor bone, pie Jesu ; quære servum tuum, et reduc me in viam mandatorum tuorum. Tu enim dixisti : Visitabo oves meas : quod perierat, requiram ; et quod abjectum erat, reducam ; quod confractum, alligabo ; et quod infirmum , consolidabo. Aspice vulnera peccatorum meorum quorum non est numerus, et sana ea. Tuis me humeris licet indignum excipe ; et adduc ad gregem electorum tuorum. Ibi *miser ricordias Domini in æternum cantabo*. Ps. 88. 2.

VII. ORATIO.

Juxta parabolam incidentis in latrones. Luc. 10.

Me miserum ! qui ab Jerusalem in Jericho descendi : qui loco veræ pacis deserto, fallaces mundi et carnis delectationes secatus sum, et in manus infernalium latronum incidi, a quibus innocentiae veste

spoliatus, et ad mortem animæ miserando spectaculo vulneratus sum ! Propitios in me oculos converte, o pie Samaritane, et misere mei, in sanguine peccatorum meorum volutantis. Non est qui possit aut velit misero mihi in hoc statu salutarem præbere manum, præter te, Domine Jesu; in te solo omnis vitæ spes est posita; tu unicus es animæ meæ medicus; huic, obsecro, amoris tui vinum et misericordiæ oleum infunde, et induc in vulnus sacratissimi Lateris tui. *Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo, quoniam elegi eam.* Ps. 131. 14.

VIII. ORATIO.

Regis Manassis.

Domine omnipotens, importabilis est magnificentia gloriæ tuæ, et insustentabilis ira comminationis tuæ super peccatores : immensa vero, et investigabilis misericordia promissionis tuæ : quoniam tu es Dominus altissimus, benignus, longanimis et multum misericors, et pœnitens super malitias hominum. Tu, Domine, secundum multitudinem bonitatis tuæ, promisisti pœnitentiam et remissionem iis, qui peccaverunt tibi; et multitudine miserationum tuarum decrevisti pœnitentiam pecca-

toribus in salutem. Tu igitur, Domine Deus justorum, non posuisti poenitentiam justis, Abraham, et Isaac, et Jacob, iis qui tibi non peccaverunt; sed posuisti poenitentiam propter me peccatorem, quoniam peccavi super numerum arenæ maris: multiplicatæ sunt iniquitates meæ, et non sum dignus intueri et aspicere altitudinem cœli præ multitudine iniquitatum mearum. Et nunc flecto genu cordis mei, precans a te bonitatem. Peccavi, Domine, peccavi, et iniquitates meas agnosco. Quare peto, rogans te, remitte mihi, Domine, remitte mihi, et ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus reserves mala mihi, neque damnes me in infima terræ loca, quia tu es Deus, Deus, inquam, poenitentium; et in me ostendes omnem bonitatem tuam, quia indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam, et laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ; quoniam te laudat omnis virtus cœlorum, et tibi est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IX. ORATIO AD B. M. V.

Celebris hæc oratio R. P. Bernardi missionarii, ex operibus sancti Bernardi desumpta est.

* Memorare, o piissima Virgo Maria, non

esse auditum a sæculo, quemquam ad tua currentem præsidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, esse derelictum. Ego, tali animatus confidentia, ad te; Virgo virginum, Mater, curro, ad te venio; coram te gemens, peccator assisto: noli, Mater Verbi, verba mea despicere; sed audi propitia, et exaudi. Amen.

ACTUS CONTRITIONIS.

Utinam te, Domine, Deus meus, ex toto corde meo, ex tota anima mea, et ex omnibus viribus meis super omnia (quod opto) diligam! Utinam ipsum Seraphinorum amorem exæquem, eoque æternum persistam! Tu scis, Domine, quia amo te, magisque amare cupio: quod millies malim mori, quam in talia... peccata relabi. O quam doleo, quod te summum et amantissimum bonum meum umquam offenderim! Utinam (quod firmissime tua fretus ope propono) te numquam vel minimo delicto offendam! Tu enim omni amore, honore et cultu dignus es; cujus sanctissimam voluntatem in omnibus exequi cupio. Amen.

In sede confessionali, quamprimum sacerdos ad te audiendum se inclinat, dic: Benedic, Pater.

Accepta benedictione recita : Confiteor etc. vide 48. usque ad mea culpa exclusive.

Tunc indicato tempore ultimæ confessionis, et ad injunctam pœnitentiam expleveris, peccata tua recense. Conclude in hæc verba, mea culpa, mea culpa, etc. usque ad finem.

Pœnitentiam et admonitionem, quam confessarius dederit, dimisso animo excipe, doloremque piis affectibus (tamen sine strepitu) excita.

Dolor de peccatis ante Absolutionem necessario eliciendus est. Nam sine contritione pœnitens non est capax Absolutionis.

VII.

PRECES POST CONFESSIONEM.

ORATIO.

Sit tibi, Domine, obsecro, meritis beatæ semper Virginis genitricis tuæ Mariæ, et omnium Sanctorum, grata et accepta ista confessio mea : et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua : et secundum illam digneris me habere plenius et

perfectius absolutum in cœlo: Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti, etc.

**GRATIARUM ACTIO POST CONFESSIONEM JUXTA
EXEMPLUM LEPROSI. *Luc. 17.***

Ad te, o benignissime Jesu, revertor, et gratias ago, quod a foedissima peccatorum meorum lepra mundare me dignatus fueris. Sit nomen tuum, o Jesu, benedictum in sæcula ! Vere tu Jesu, hoc est, Salvator es, qui neminem a te, quantumlibet flagitiosum, repellis : qui omnes serio poenitentes in gratiam recipis, et in numerum filiorum tuorum adscribis. Misericordiæ tuæ viscera, o Jesu, agnosco et amplector, meque totum servitio tuo deinceps addico. Adjuva, obsecro, imbecillitatem meam ; ut numquam, hujus tui mihi præstiti beneficii oblitus, amore ullius delectationis, aut præposterii affectus impulsu, in priora peccata relabar, meque a te separem. Cor et animam meam dilectionis tuæ brachiis ita tecum constringe, ut dicere cum Apostolo audeam : **QUIS NOS SEPARABIT A CHARITATE CHRISTI ?** *Rom. 8: 35.*

**ALIA PRÆCLARA GRATIARUM ACTIO POST CON-
FESSIONEM, PER PSALMUM 102.**

1. Benedic anima mea, Domino : et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

2. Benedic anima mea Domino : et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas.

4. Qui redimit de interitu viam tuam : qui coronat te in misericordia et miserationibus.

5. Qui replet in bonis desiderium tuum : renovabitur ut aquilæ juvenus tua.

6. Faciens misericordias Dominus : et judicium omnibus injuriam patientibus.

7. Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israël voluntates suas.

8. Miserator et misericors Dominus : longanimis, et multum misericors.

9. Non in perpetuum irascetur : neque in æternum comminabitur.

10. Non secundum peccata nostra fecit nobis : neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

11. Quoniam secundum altitudinem cæli a terra : corroboravit misericordiam suam super timentes se.

12. Quantum distat ortus ab occidente : longe fecit a nobis iniquitates nostras.

13. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

14. Recordatus est, quoniam pulvis su-

mus : homo sicut fœnum dies ejus , tamquam flos agri , sic efflorescit.

15. Quoniam spiritus pertransibit in illo , et non subsistet : et non cognoscat amplius locum suum.

16. Misericordia autem Domini ab æterno : et usque in æternum super timentes eum.

17. Et justitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus.

18. Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

19. Dominus in cœlo paravit sedem suam : et regnum ipsius omnibus dominabitur.

20. Benedicite Domino omnes Angeli ejus : potentes virtute , facientes verbum illius , ad audiendam vocem sermonum ejus.

21. Benedicite Domino omnes virtutes ejus : ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

22. Benedicite Domino omnia opera ejus : in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Gloria Patri, etc.

EX P. CHRIST. MAYER, S. J.

O Jesu, Deus cordis mei, infinite misericors et longanimis, infinite suavis et amabilis, quomodo cum Patre et S. Spiritu

multiplicas super me, inter cæteros electos tuos, inæstimabiles divitias misericordiæ, longanimitatis, bonitatis et charitatis tuæ, hucusque toties me tam ingratum cum Petro respiciendo; toties me indignum cum Magdalena longe a te aberrantem in viam salutis revocando; toties tam immundum, in sanguine tuo dealbando; toties tam prodigum filium in osculum pacis recipiendo; toties tam infidelem sponsam in intimam familiaritatem invitando!

Vere miserator et misericors es, Domine, patiens et multum misericors. Vere suavis es universis, et miserationes tuæ super omnia opera tua. Confiteantur tibi omnia opera tua; maxime opera misericordiæ et pietatis, et Sancti tui, miserationes tuas experti, benedicant tibi, misericordias tuas æternum cantantes.

Agnosco, veneror, amplectorque viscera misericordiæ tuæ tantæ erga me, electosque omnes, comprehensores et viatores: atque illorum, omniumque possibilium creaturarum possibili affectu gratias ago, agamque æternum pro ineffabili illo æternæ dilectionis excessu, quo me inter illos a tot peccatis, in quæ incidissem, clementer præservasti; in tot quotidie toties labentem tam longanimitèr tolerasti; tam

misericorditer ad poenitentiam lapsum excitulasti ; tam benigne poenitentem in gratiam recepisti : insuper mihi tam liberaliter efficacem voluntatem resipiscendi , copiosam gratiam sanctius deinceps vivendi , et firmam spem perseverandi , gloriamque consequendi, communicare hucusque dignatus es.

Pro his aliisque innumeris bonitatis tuæ beneficiis , utinam tota vita laudassem te , et gratias egissem ! Utinam te infinito honore et amore dignissimum semper amassem , et glorificassem ! Utinam numquam offendissem, nec offendam posthac in æternum !

Sed eheu ! quam parum agnovi , amavi , glorificavi te, o Bonitas infinita ! Quid retribuui tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi, præter innumeras offensiones, ingratitude, negligentiam ? Doleo de his , et de omnibus et singulis totius vitæ peccatis , ex animo, non propter supplicii metum , aut gloriæ detrimentum ; sed pure propter te , Deum meum infinite amabilem , quia tibi, quem diligo diligamque æternum super omnia, displicent.

Ardenter desidero , firmiterque propono emendare omnia peccata mea, maxime hæc... cum gratia tua, per hæc remedia...

et novo fervore me totum tuo impendere servitio...

Per eandem benignitatem et charitatem tuam infinitam, qua cum Patre et Spiritu sancto, o bone Jesu, me ingratum peccatorem, et poenitentes omnes toties oculis misericordiæ tuæ tam benigne respexisti, longanimiter tolerasti, in sanguine tuo dealbasti, et nunc respicere, tolerare, et dealbare non desinis, memento et miserere totius Ecclesiæ tuæ sanctæ, ejusque capitulum et membrorum...

O Regina Sanctorum omnium, Mater Dei et Virgo, S. Angele custos, Sancti Patroni mei N. omnesque Electi, benedicite, laudate, et superexaltate Dominum mecum, et pro me, pro hoc aliisque beneficiis, mihi et vobis, omnibusque collatis et conferendis in æternum : gratiamque impetrate, illum nunc perfecte glorificandi in via, olim beate vobiscum in patria; æternum illi cum Cherubim et Seraphim accincentes : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth !

O Jesu, infinite amabilis, unde mihi, tam vili terræ vermiculo, tam immundo peccatori, tam ingrato servo, tam prodigo filio, tam infideli sponsæ, tanta miseratio tantæ benignitatis; tanta dignatio tantæ majestatis

tis ; tanta dilectio tantæ charitatis, ut me toties a te longe aberrantem, oculis misericordiæ tuæ respicere, erroneum reducere, cæcum illuminare, lapsum erigere, et ad pacis osculum invitare digneris ! Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth !

Agnoscaris, ameris, et glorificeris infinite ab omnibus, in omnibus, super omnia, gratis, propter te, in æternum et ultra.

Quomodo multiplicas super me hucusque misericordiam, charitatem et bonitatem tuam ! Agnosco, veneror, amplector, omniumque creaturarum possibilium possibili affectu gratias ago, agamque in æternum.

Quam parum et imperfecte te, infinito honore, amore, obsequio dignissimum, redamavi, glorificavi, insuper quoties sic.... offendi ! Agnosco, detestor ingratitude meam tantam erga te, atque ex animo doleo propter te. Ignosce, supple per te. Ex momento hoc, te tuumque sanctissimum beneplacitum brachiis dilectionis, et omni possibili pietatis affectu (licet me velles annihilare, aut reprobare, quod infinita bonitas tua non permittet), arctissime constringo, constringamque in æternum.

Da ut sciam, velim, possim id perfecte præstare, sicut scis et vis; et omnes mecum per lacrymas, sudorem et sanguinem tuum.

Jesu, Deus cordis mei, da gratiam omnia peccata, maxime hoc... emendandi, in hac... virtute proficiendi, hoc... opus reformandi, in sancta vocatione perseverandi. Fac, ut in te vivam, in te moriar, in te perennem: sim, obsecro, totus tuus, et tu meus, o Jesu, in æternum, per merita tua, beatæ Virginis, et omnium Sanctorum.

HIC POENITENTIAM INJUNCTAM PERSOLVE.

Similem gratiam, indulgentiam, misericordiam omnibus, pro quibus mori dignatus es, et pro quibus maxime orare teneor et soleo, præsta, o bone Jesu, per infinitam charitatem tuam, per lacrymas, sudorem, et sanguinem tuum, per merita beatæ Virginis Matris tuæ, et omnium Sanctorum.

Defunctis requiem concedendo, ut a peccatis expiati, et in refrigerium educti, pro me ingrato peccatore, te perfectissime ameni, laudent et glorificent.

Justos in gratia constitutos conservando, promovendo, adjuvando, ut in sanctitate, et justitia tibi servientes, omnibus diebus vitæ suæ, eant de virtute in virtutem, donec beate videaris ab eis in cœlesti Sion.

Peccatores omnes oculis misericordiæ tuæ benigne respiciendo, ad agnitionem, timorem et amorem tui misericorditer con-

vertendo, ut et ipsi, dealbati in Sanguine tuo, misericordias tuas nunc in terris, olim in coelis, cum Beatis omnibus, decantent in æternum. Amen.

VIII.

PRECES ANTE COMMUNIONEM.

ORATIO S. AMBROSII.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine, Jesu Christe, ego peccator, de propriis meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Majestas, ego miser, inter angustias depressus, ad te fontem misericordiæ recurro; ad te festino sanandus; sub tuam protectionem confugio; et quem Judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo; tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea, multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est nūmerus. Respice in me oculis misericor-

diæ tuæ, Domine Jesu Christe, Rex æterne, Deus et Homo, crucifixe propter hominem. Exaudi me sperantem in te, et miserere mei, pleni miseriis et peccatis; tu, qui fontem miserationis numquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere, in patibulo crucis oblata. Salve, nobilis et pretiose Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti. Pœnitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea; ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear Sancta Sanctorum, et concede, ut sancta prælibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, bonorumque sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animæ quoque et corporis, contra inimicorum meorum insidias, firmissima tuitio. Amen.

ORATIO

S. Thomæ Aquinatis.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Accedo, tamquam infirmus ad medicum vitæ immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper et egenus ad Dominum cœli et terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem; ut Panem Angelorum, Regem regum et Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi, quæso, Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere Sacramentum, sed etiam rem et virtutem Sacramenti. O mitissime Deus, da mihi Corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via

suscipere propono, revelata tandem facie, perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat, etc.

ORATIONIS DOMINICÆ PARAPHRASIS, QUA OPTIME FIT AD SACRAM COMMUNIONEM PRÆPARATIO.

Pater noster.

Potentissime, sapientissime, clementissime, qui ut dulcedinem in filios tuos demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito esurientes reple; et quæ creasti, omnia tam paterne et mirabiliter alis, loves ac conservas: ecce et ego unus, licet vilissimus, filiorum tuorum, confidenter nunc levo oculos meos ad te, qui es in cœlis, ut tu paternæ benevolentiae oculis respicias super me miserum et inopem, procul agentem a facie Patris, inter filios Evæ, in valle lacrymarum, exulem et peregrinum super terram, et suspirantem ad te dulcissimum Patrem meum.

1. Sanctificetur nomen tuum.

Hoc enim est præcipuum votum et desiderium cordis mei, ut omnia quæ facio, dico, cogito, cedant ad maiorem gloriam nominis tui: et nunc præcipue, cum ad sacra mysteria Corporis et Sanguinis Filii

tui venio, hoc unum intendo, hoc unice desidero, ut laudetur suprema majestas, potestas, bonitas, et sapientia tua: cui debetur ab omni creatura omnis honor et gloria, æterna laus et gratiarum actio: quia sic dilexisti nos, ut Filium tuum unigenitum nobis dares et in cibum, et in salutis pretium. Pro quo, cum digne a nobis laudari nequeas, utinam ipse Filius tuus clarificet te! nam et tu exaltasti eum super omnia, et dedisti illi nomen, quod est super omne nomen.

2. *Adveniat regnum tuum.*

Hujus regni tui felicitatem ac delicias in hoc Sacramento prælibamus. Dedisti enim nobis, in pignus futuræ gloriæ, Corpus et Sanguinem Filii tui, et sic nos quoque per gratiam adoptionis fecisti tibi hæredes, cohæredes autem Christi.

Interim vero, dum adhuc in exilio peregrinamur a Domino, fac nos sic uti hoc sacro pignore, ut in dies magis magisque in nobis proficiat regnum tuum gratiæ, et tandem perveniat in nos regnum tuum gloriæ.

3. *Fiat voluntas tua.*

Quæ est autem voluntas tua, nisi sanctificatio nostra; maxime cum accessuri su-

mus ad hæc Sancta Sanctorum? Vis etiam, ut manducemus Carnem Filii hominis, et bibamus Sanguinem ejus, alias non habaturi vitam in nobis. Quis autem hoc facere præsumeret, conscius infirmitatis suæ, nisi id tam amanter et dignanter tu, una cum Filio, velles et præciperes? (Nam idem est utrique velle, idem posse). Quia ergo ita vis, fiat quod vis, et quomodo vis. Nempe sanctos nos esse vis, quia Sanctus est, imo Sanctus Sanctorum, ad quem accedimus, Filius tuus. Sed quis sanctum faciet, nisi tu? Da quod jubes: fac ut sancta non tractemus nisi sancte, et religiose. Unde, *sicut in cælo*, Sancti pleno ore, puro corde, et ardenti desiderio manducant hunc Panem vivum, revelata facie, ita et nos *in terra*, magno desiderio, et puro affectu comedamus eum, sub speciebus velatum, donec et nos cum Electis fruamur illo in propria specie, et satiemur ab ubertate domus tuæ.

4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Oculi enim omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno. Tu aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione: et mihi decesse poteris? Scis autem, Domine, quia non

minus anima quam corpus cibo reparari indiget, ut vivat. Nam sicut hoc naturalis calor, sic illam æstus concupiscentiæ continuo depascitur. Sed o felices filios, qui in domo tanti Patris (Ecclesia) sic abundant panibus! Hic panis gratiæ et verbi Dei copiose frangitur. Hic panis Sacramentorum, et præsertim Panis ille vivus, qui de cœlo descendit, qui natus in Bethlehem, id est, in domo panis; Panis Angelorum, manna cœli, omnibus apponitur. O pretiosa et nobilis esca! o grandis æterni Patris charitas et misericordia! Mihi enim non serenti, neque metenti, neque horrea habenti, Frumentum Electorum et Panis vitæ e cœlo datur. Tu, Domine, seminasti illum in terris; tu mortis falce messuisti; tu eum in horreo Ecclesiæ tuæ nutriendis filiis tuis totum exposuisti.

Da mihi ergo, benignissime Pater, ut hoc Pane sæpius digne reficiar: imo etiam quotidie (si non sacramentaliter, saltem spiritualiter) recipiam, quod quotidie mihi prosit; nam quia pecco et deficio quotidie, merito etiam quotidie remedium accipio, quod vires reficiat. O utinam hoc cœlesti Pane et Viatico ita sustentem in hoc deserto, ut in fortitudine cibi illius ambulem usque ad montem Dei!

5. Et dimitte nobis debita nostra.

Heu ! quam multa et gravia sunt debita nostra ! In multis enim offendimus omnes. Quare miseri nos et inopes solvendi non fuimus , nec sumus.

Sed ecce , Domine , apud te est misericordia , et copiosa apud Filium tuum redemptio ; quem , nostri misertus , dedisti nobis. Ille justus , impollutus et innocens per omnia ; quod nos debuimus , ille solvit ; quod nos peccavimus , ipse luit ; et justitiæ tuæ abunde satisfecit , donans nobis immensum thesaurum meritorum suorum , et infinitum pretium Sanguinis sui.

Hoc autem totum pretium velut depositum habemus , in pretioso sanctissimi Sacramenti serinio reconditum. Hunc ergo thesaurum nunc offero tibi , o Pater æternæ , ut inde capias , quantum exigis a me , pro debitis meis. Ego unde salvam , non habeo ; at Filii tui superabundant merita , ut inde nostra solvantur debita.

Propter hunc itaque dimitte nobis , sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Dimittimus , inquam , ne forte extra vinculum charitatis , indigne tractemus Sacramentum pacis et unitatis , et frustra a Deo quæramus medelam , si homines hominibus reserve-

mus iram. Quæ enim nobis communicatio in Corpore et Sanguine Domini, si membris corporis ejus mystici, id est, proximis nostris, communione pacis et amoris non jungimur ?

Oportet nos utique , cum accedere volumus ad altare, prius reconciliari fratribus nostris , si quid habent adversum nos , et sic venire ad offerendum munus nostrum. Hoc Filius tuus nos et facere docuit , et ipse fecit. Nam pendens in cruce, et solvens omnium debita , dimisit inimicis suis , et pro tortoribus te supplex oravit , dicens : Pater, ignosce illis ; dimitte mihi itaque debita mea , pro quibus Filius tuus offert merita sua ; his enim secluis, si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit ?

6. Et ne nos inducas in tentationem.

O Domine, qui parasti in conspectu nostro mensam adversus omnes , qui tribulant nos , et hic panem apponis , qui cor hominis confirmat adversus omnes tentationes mundi , carnis et dæmonis ; da mihi , per cibum cœlestem et vivificum, vires et robur, ut tentatus non succumbam , sed tibi constanter adhæream.

Non studeam esse amicus hujus mundi , aut conformari huic sæculo, sed virtute

cœlestis cibi transformer in te , ut uni tibi placere cupiam , et displicere timeam. Sordeat mihi terra, quia hic cœlum intueor, et mundi totius Dominum complector.

Nihil me carnis deliciæ moveant , cui carne Agni immaculati , et manna cœli vesci datur, in quo delicias longe majores, et omnem saporis suavitatem invenio.

Dæmon vero quid poterit in me, quando mecum est Deus? Si autem Deus pro nobis, quis contra nos?

7. Sed libera nos a malo.

Multis enim in hac vita casibus et miseriis obnoxii sumus : ea vero censentur mala , quatenus nos fragiles dejiciunt, et abstrahunt a te : abduci autem a te, id est, summo bono , hoc utique est summum malorum. Quis vero liberabit nos ab hoc malo , nisi tu, fons omnis boni , et quem nobis dedisti advocatum apud te, omnisque salutis et felicitatis auctorem, Jesus Christus, qui nos a peccato , et a morte liberavit in Sanguine suo?

Hoc mediatore, fac ut omnia nobis coeperentur in bonum, quia non est nobis in alio aliquo salus. Is ergo ut vere præsens est in hoc Sacramento , ita nobiscum sit ubique ; ille nos pascat, regat , conservet ,

protegat, ducat, pro elementissimo suo beneplacito, velut oves pascuæ suæ : quidquid nobis evenerit, malum non erit, si non separet nos a summo bono. Nam mihi adhærere Deo bonum est. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?



MODUS SE PRÆPARANDI

AD SACRAM COMMUNIONEM PIA PASSIONIS ET
MORTIS CHRISTI CONSIDERATIONE.

*Quotiescumque (ait Apostolus 1. Cor. 11.)
manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis,
donec veniat.*

ORATIO PRÆPARATORIA.

Domine Jesu, qui Carnem et Sanguinem tuum in cibum potumque mihi præparare dignatus es, in ejusque sumptione passionis et mortis tuæ memoriam recoli voluisti, da gratiam, ut huic sanctissimæ tuæ voluntati satisfacere, uberesque hujus Sacramenti fructus percipere valeam. Amen.

I. Christus ultimam cœnam instituit.

Cum tuos, o Jesu, dilexisses, vere in finem dilexisti eos : temetipsum enim, ex

hoc mundo abiens, sub speciebus panis et vini in terris reliquisti, ut semper nobiscum esses. Quid tibi vicissim, o Jesu, rependam? Accipe corpus et animam meam, meque totum posside, qui te totum mihi in cibum tradere voluisti.

II. *Lavat discipulorum pedes.*

Ad discipulorum tuorum, ipsius etiam Judæ, pedes te, o Jesu! prosternere, eosque manibus tuis abluere dignatus es. Et ego pulvis et cinis, ego terræ vermiculus, ego homo impius persistam in superbia? Fac, Domine, ut vilior flam plus quam factus sum, et sim humilis in oculis meis. 2. Reg 6.

III. *Angitur in horto, et sanguinem sudat.*

Tuus in horto mœror et angor, sanguineum tibi, o Jesu! sudorem expressit, et in hæc verba exclamare coëgit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Væ mihi, ob cujus peccata tu, Domine Jesu, adeo contristatus es. Sanguinem sudasti; et ego tam exiguum de illis dolorem sentio? Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut fleam die ac nocte? Jerem. 9.

IV. *Ab angelo confortatur.*

Ut calicem amarissimæ passionis, tibi, o Jesu! a Patre tuo cœlesti oblatum, acce-

ptares , persuasit Angelus. Num ego eundem a te mihi propinatum recusem ? Calicem salutaris accipiam , et nomen Domini invocabo. *Ps. 115.*

V. *A Juda osculo traditur.*

Perfidum , o Jesu ! osculum a Juda admittere, paternum vero proditori reddere dignatus es. Ne permittas, mi Jesu , ut ego tam impio te osculo, in hoc sanctissimo Sacramento, excipiam. Aufer proinde a me omnem inordinatum creaturarum affectum, ut te toto corde diligam , et sincero affectu amplectar. Tu enim vero es DEUS CORDIS MEI. *Ps. 72.*

VI. *Christus capitur.*

Spiritus oris nostri, Christus Dominus captus est in peccatis nostris. Et ego deinceps suavissimo tuorum, o Jesu ! mandatorum jugo excusso , vivendo captem libertatem ? Trahe me, oro , post te ; trahe me , inquam, in funiculis Adæ, in vinculis charitatis , et curram in odorem unguentorum tuorum. *Cant. 1.*

VII. *Ad Annam et Caipham ducitur.*

Ad Annam et Caipham, summos pontifices, o Jesu ! tamquam gravissimorum flagitiorum reus, traheris ; ad falsas accusationes, ala-

pas , sputa , aliaque opprobria non aperis os tuum. Ubi est patientia mea ? Te , mi Jesu , supplex oro , ut mihi in hoc Sacramento tribuas patientiam, mansuetudinem. 1. *Tim.* 6.

VIII. *Præsidi Pontio Pilato sistitur.*

Pontio Pilato judici te , o Jesu ! condemnandum sisti pateris , qui a Patre tuo constitutus es Judex vivorum et mortuorum : nimirum, ut me a sententiæ æternæ damnationis absolveres. Væ mihi , si indigna Corporis et Sanguinis tui sumptione , aut ullo deinceps gravi peccato , me tui judicii, o Jesu ! reum faciam ! 1. *Cor.* 11. 9.

IX. *A^h Herode spernitur.*

Herodes cum universa aula te , mi Jesu , ob modestiam et humilitatem tuam spernit, albaque indutum veste , cum ludibrio , ad Pilatum remittit. Ne umquam, o Jesu ! permittas, ut ego humilem tuam, sub candidis panis speciebus, præsentiam ullo umquam modo spernam, aut parvi faciam. Tu enim vere es Deus hic ABSCONDITUS. *Isaiæ* 45.15.

X. *Barabbæ latroni postponitur.*

Unanimem, mi Jesu, iniquissimæ plebis, Barabbam tibi præferentis, vocem dimisso animo audivisti. Utinam ego numquam

hujus mundi bona, honores, voluptates tibi, o Jesu! præferam! Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? *Ps. 72.*

XI. *Flagellatur.*

A planta pedis usque ad verticem capitis non fuit in te, mi Jesu, sanitas, quando virginum corpus tuum, ab impiis denudatum, diris modis est cæsum. Supplex ad thronum gratiæ tuæ, in hoc SS. Sacramento mihi erectum, procido. Ne in me, horum omnium auctore, tantam immanitatem ulciscaris, cum Jobo in amaritudine animæ meæ exclamo: Noli me condemnare. *Job. 10.*

XII. *Spinis coronatur.*

Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate suo. O speciose forma præ filiis hominum! o Rex gloriæ, Christe Jesu, tene video spinis coronatum? Et ego in vultu, aut ulla corporis parte, vanam affectem gloriam? Deus meus, confundor, et erubesco levare faciem meam ad te. 1 *Esdra. 9. 6.*

XIII. *Ecce Homo.*

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua? Itane, mi Jesu, attrita, laceraque

purpura regium est paludamentum tuum ? arundo sceptrum ? spinæ corona ? Parce, ah, parce mihi peccatori, cum veneris in nube, cum potestate magna ! *Luc. 21.*

XIV. *Condemnatur.*

Ab iniquis, o Jesu ! te innocentem condemnari permisisti, ut a me nocente sententiam æternæ damnationis averteres. Fac, ut denique audiam, cum electis tuis, in summa die : VENITE, BENEDICTI. *Matth. 25.*

XV. *Crucem bajulat.*

Posuit in te, mi Jesu, Pater tuus cœlestis iniquitatem omnium nostrum. Pondus hoc in cruce lubens suscepisti, montemque Calvariæ conscendisti. Utinam et ego sic post te venire contendam, ut tollam crucem meam, et sequar te ! *Matth. 16.*

XVI. *Crucifigitur.*

Sol obscuratus est, te, Jesu, in cruce pendente, terra mota est, petræ scissæ sunt : et ego pudore non suffundor ? non moveor ? non conteror ? Largi sanctissimis manibus pedibusque fontes scaturiunt ; et ego non accurro ? Etiamnum surdis et torpentibus auribus excipiam voces Prophetæ : in illa die (quæ nunc per gratiam mihi illuxit) haurietis aquas in gaudio, de fontibus sal-

vatoris? Vere , mi Jesu, apud te est fons vitæ. *Ps. 35.*

XVII. *Ultima morientis verba.*

Prima tibi, o Jesu ! morienti cura fuit, ut peccatores, ii etiam, qui te cruci affixerunt, Patri tuo reconciliarentur : PATER, inquiebas , DIMITTE ILLIS : NON ENIM SCIUNT QUID FACIUNT. Et ego ulli, qui me umquam offendit, ignoscere detrectem , dum ad te , mi Jesu, in amoris Sacramento sumendum accedo? Absit, o Jesu ! omnibus amore tui ex animo condono, quidquid in me umquam peccarunt, præsertim illis N. Fac me , obsecro, in hora mortis meæ cum latrone illa audire verba : HODIE MECUM ERIS IN PARADISO : et patere, ut te fratrem meum in hoc Sacramento amplectar , qui dulcissimam Genitricem tuam mihi in matrem dedisti , teque a Patre tuo in extremo mortis agone derelinqui permisisti , ne is me æternum in peccatis meis derelinqueret. Ardentissime insuper salutem meam SITIVISTI , ut vicissim anima mea sitiret ad te, fortem vivum : donec CONSUMMATO hujus vitæ cursu , IN MANUS TUAS COMMENDEM SPIRITUM MEUM. Veni, Domine Jesu. *Apoc. 22.*

XVIII. *Christus moritur.*

Utinam mihi licuisset, o Jesu ! ore et corde

meo ultimum vitæ tuæ spiritum excipere ,
ut dicere possem : Vivo ego , jam non ego ;
vivit vero in me Christus . Quam benignus
es, o Jesu ! Quod enim tam ardentem desi-
dero, id in gloriosissimo hoc Sacramento
mihi concedis ; non modo spiritum tuum ,
verum et corpus, ipsamque divinam tuam
substantiam ore et corde sumendam mihi
tradis. Quomodo possum te non diligere ?
SI QUIS NON AMAT DOMINUM NOSTRUM JESUM
CHRISTUM, SIT ANATHEMA. 1. *Cor.* 16.

XIX. Latus lancea aperitur.

Tunc mihi, o Jesu ! ad urbem et domum
refugii aditum patefecisti , quando lancea
latus tuum aperiri voluisti. Hæc requies
mea : hic habitabo, quoniam elegi eam.
Ps. 134.

XX. Sepelitur.

Virgineum corpus tuum , o Jesu ! munda
sindone involutum, sepulcro novo est con-
ditum. Amplius, amplius lava me , o Jesu !
et a peccato meo munda me : cor mundum
crea in me , quo sanctissimum tuum nunc
redivivum et gloriosum Corpus tamquam
munda sindone excipiam, eique ita amore
conjungar , ut vere possim dicere : Neque
mors, neque vita, neque ulla creatura me
separabit a charitate Dei, quæ est in Christo
Jesu Domino nostro. *Rom.* 8.

*Tria amoris ad Jesum suspiria, ante
Communionem.*

1. Accende, o Jesu! igne amoris tui cor meum, quod tibi in holocaustum offero, omnesque terreni amoris flammæ extingue; ut nihil in mundo mihi placeat præter te. In amore tui vivere cupio, et mori exopto.

2. Vox tua, mi Jesu, est: Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Expansis in cruce brachiis, me expectas. En venio, o Jesu! admitte me, obsecro, æternumque in amoris tui complexu tibi conjunctus permaneam.

3. Præcipitur mihi, ne appaream in conspectu tuo vacuus. Sed quid dabo tibi, mi Jesu? Accipe tuæ bonitatis dona, animæ meæ facultates, quas tibi in obsequium offero, memoriam, intellectum, voluntatem. Tui solius meminerim, nihil sciam extra te, nihil præter te amem, nec in ulla re mea, sed tua sola voluntas fiat. Amen.

SEPTEM DIVERSI MODI PIE COMMUNICANDI,

QUIBUS CHRISTUS ET COMMUNICANS IN VARIA
IMAGINE CONSTITUUNTUR, JUXTA VERSUS
SEQUENTES :

SEPTEM IMAGINES CHRISTI.

1. Rex, 2. Judex, 3. Medicus, 4. Sponsus,
5. Dux, 6. Victima, 7. Numen.

SEPTEM COMMUNICANTIS.

1. Mendicus, 2. Reus, 3. Æger, 4. Amans,
5. Pugil, 6. Hostia, 7. Pulvis.

SEPTEM PETITIONES.

1. Da , 2. Parce , 3. Et sana , 4. Satia ,
5. Rege, 6. Suscipe, 7. Serva.

SEPTEM CORRESPONDENTIA MYSTERIA PASSIONIS.

1. Cœna, 2. Hortus, 3. Flagrum, 4. Spinæ,
5. Crux, 6. In cruce, 7. Funus,



I. MODUS.

PIE COMMUNICANDI.

CHRISTUM *sedentem in* COENA MAGNA
considera , *sub imagine* REGIS *dicentis* :
Matth. 28. 18. Data est mihi omnis potestas.

in coelo et in terra. *Et Proverb. 8. 18. Mecum sunt divitiæ, et gloria, etc. Ad quem tu velut egenus et mendicus accede, solamque ejus gratiam pete.*

ORATIO.

Ad te, o Rex gloriæ Jesu Christe ! in Coena tua regia, ego pauper et sordidus accedo, qui coram te, nisi tua bonitas me invitasset, comparere non auderem. Respice miseriam ac necessitatem meam, cui sublevandæ sola sufficit gratia tua : quam unice per hujus SS. Sacramenti sumptionem peto : hæc sola REPLET IN BONIS DESIDERIUM MEUM. *Ps. 102.*

II. MODUS

PIE COMMUNICANDI.

CHRISTUM in HORTO *Gethsemani* (quem *vallis Josaphat* comprehendit) considera ut JUDICEM, cui Pater omne judicium dedit, *Joan. 5. 22. Tu ut REUS accede, et veniam tuorum delictorum precare.*

ORATIO.

Quid faciam, o Jesu ! cum in loco eodem, quo ad mortem propter scelera mea angustatus es, surrexeris ad judicandum, de quavis cogitatione, verbo et opere rigidissimam exacturus rationem ? Fateor, me tuam majestatem in multis offendisse. Sed parce,

o clementissime Jesu ! parce per SS. Vulnera tua, amore mei suscepta. Ad thronum clementiæ tuæ, in sanctissimo hoc Eucharistiæ Sacramento , accedo , submissaque confidentia te supplex oro : CUM VENERIS JUDICARE, NOLI ME CONDEMNARE. *Job. 10.*

III. MODUS

PIE COMMUNICANDI.

CHRISTUM *in* FLAGELLATIONE *considera ut* MEDICUM, cujus livore sanati sumus. *Isaiæ 53. Tu ab illo, velut ÆGER aut vulneratus a latronibus, medelam pete.*

ORATIO.

O misericors Samaritane, Christe Jesu , cujus virginea caro dirissimis pro me flagellis cæsa, roseusque sanguis copiosissime pro me effusus, unica meorum vulnerum est medicina. Utinam ejus virtutem in præ-senti experiar, et cum hora mortis meæ advenerit, eodem immortalitatis pharmaco refici merear ! Est enim hoc pharmacum , quod REDIMIT AB INTERITU VITAM MEAM. *Ps. 102.*

IV. MODUS

PIE COMMUNICANDI.

CHRISTUM SPINIS CORONATUM *considera ut* SPONSUM, qui sponsavit te sibi in sempiter-

num. Os. 2. 19. *Tu illum vicissim AMA, ut Sponsa, tuque coelestium voluptatum desideria ab eo postula expleri.*

ORATIO.

Quis ego sum, o Jesu! propter me spineo diademate redimite, qui de me dignatus es dicere: In charitate perpetua dilexi te: sponsabo te mihi in misericordia, et in miserationibus. Quo majore potuisses me honore et amore prosequi? Lætare et exulta, anima mea, quia speciosus forma præ filiis hominum in thalamum te suum extulit, tecumque æterno amoris vinculo vult conjungi. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam, fodiasque tibi cisternas fallacium voluptatum? Quin ad illum amore flagrans accurris, qui SPONSUS tuus esse dignatur, et qui TORRENTE VOLUP-TATIS SUE POTABIT TE. *Ps. 33.*

V. MODUS

PIE COMMUNICANDI.

. **CHRISTUM CRUCEM BAJULANTEM** considera ut DUCEM, omnibus inclamantem: Confidite, ego vici mundum. *Joan. 16. ult.* Tu ut timidus PUGIL ad hunc accede; et roga, ut te, dum a mundo, carne et diabolo oppugnaris, dignetur regere et confortare.

ORATIO.

O dux fortissime! o victor gloriosissime, Christe Jesu! qui potentissimo crucis ligno mundum, carnem, et diabolum superasti. Quomodo ego pavidus et imbecillis contra tam potentes inimicos subsistam, nisi tu me adjuves? Blanditur caro, seducit mundus, impellit diabolus: sine tua spe, mi Jesu, de salute mea actum est. Proinde ad te, in sanctissimo hoc Sacramento, confugio: tu rege, defende, et conforta me: SEQUAR TE, QUOCUMQUE IERIS. *Luc. 9. 57.*

VI. MODUS

PIE COMMUNICANDI.

CHRISTUM CRUCIFIXUM *considera ut VICTIMAM* propitiatoriam pro peccatis nostris. 1. *Joan. 2. 2. Tu te ut HOSTIAM eidem ad-junge, eamque ut recipere dignetur, supplex ora.*

ORATIO.

O Christe Jesu! qui pro nobis in cruce perfectissimum Patri tuo factus es holocaustum, et propitiatio pro peccatis nostris: ea ego me tecum in sanctissimo hoc Altaris Sacramento conjunctum, Patri tuo, quem et meum fecisti, in hostiam offero. Fac ut tecum suseipiar., IN ODOREM SUAVITATIS. *Ezech. 20. 41.*

VII. MODUS

PIE COMMUNICANDI.

CHRISTUM *in FUNERE et sepulcro considera ut NUMEN, in quo abscondita est vita nostra. Col. 3. 3. Tu roga, ut postquam in pulvere dormieris, te resuscitet, et saluum faciat.*

ORATIO.

Scio, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die, de terra surrecturus sum : et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo te, Deum meum, quem nunc sub speciebus panis et vini absconditum sumere intendo. Funus tuum et sepulchrum, o Jesu ! mihi viam hanc ad immortalitatem aperuit, QUANDO VENIAM ET APPAREBO ANTE FACIEM DEI ? *Ps. 41.*

Jam ad Sacramentum accessurus, in comitatum tuum invita B. Virginem, Angelum tutelarem, S. Josephum, aliosque sanctos Patronos tuos, in hunc vel similem modum.

ORATIO

In accessu ad S. Communionem.

Adeste, o beatissima Virgo ! una cum conjuge tuo S. Josepho ; tuque, o Angele custos, et vos præ cæteris mihi dilecti Patroni NN. latus meum stipate, viamque ad mensam Domini mihi parate.

Plura ab iis petenda suggeret devotio.

IX.

PRECES POST COMMUNIONEM.

I. ORATIO

S. Thomæ Aquinatis.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ, satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui, Domini nostri Jesu Christi. Te deprecor, ut hæc sancta Communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ et libidinis exterminatio, charitatis et patientiæ, humilitatis et obedientiæ augmentatio, contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio; motuum meorum, tam carnalium, quam spiritualium; perfecta quietatio: in te uno ac vero Deo firma adhæsiō, atque mei finis felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo, et Spiritu sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena,

gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eundem Christum, etc.

II. ORATIO

Sancti Bonaventuræ.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animæ meæ suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnera, vera, serenaque, et Apostolica sanctissima charitate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui. Te concupiscat, et deficiat in atriâ tua : cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriam, Panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et sorem, et omne delectamentum suavitatis. Te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriam et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Te semper sitiât, fontem vitæ, fontem sapientiæ et scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei : te semper ambiât, te quærat, te inveniât, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam no-

minis tui, cum humilitate et discretionē, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, et thesaurus meus, in quo fixa et firma, et immobiliter semper sit radicata mens mea, et cor meum. Amen.

III. ORATIO.

Ineffabilem misericordiam tuam, Domine Jesu Christe, humiliter exoro, ut hoc Sacramentum Corporis et Sanguinis tui, quod indignus suscepi, sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit impetratio veniæ, sit stabilimentum gratiæ, sit medicina vitæ, sit memoria tuæ passionis, sit contra debilitatem fomentum, sit viaticum meæ peregrinationis. Euntem me conducat, errantem me reducat, revertentem me suscipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, et perseverantem me in gloriam introducat. O altissime Deus,

beatissima præsentia Corporis et Sanguinis tui sic immutet palatum cordis mei, ut præter te nullam umquam sentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum quærat illicitum amorem, nullam desideret consolationem, nullam admittat umquam delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem. Qui vivis et regnas cum Deo, etc.

Poterit quoque devotio et gratiarum actio post S. Communionem institui sola meditatione, colloquio mentali, piis suspiriis et affectibus, etc.

Utiliter quoque, ad renovandam devotionem, quædam ex sequentibus precibus usurpantur, sive sola mente expendantur, sive expressis verbis recitentur. Non expedit autem multa una vice percurrere; paucis immorari, piisque animi affectibus indulgere præstat.

PIÆ ASPIRATIONES AD CHRISTUM.

Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam. Te, mi Jesu, amplector, et amoris mei gaudium obtineo. Te cordis mei thesaurum comprehendo, in quo omnia possideo. Sentiât, obsecro, mens mea virtutem præsentiæ tuæ; gustet quam suavis sis, Domine; ut amore tui

capta, nil extra te quærat, nil diligat, nisi propter te. Tu es rex meus, ne obliviscaris inopiæ et tribulationis meæ. Tu es iudex meus, parce peccatis meis, et miserere mei. Tu es medicus meus, sana omnes infirmitates meas. Tu es sponsus animæ, sponsa te mihi in sempiternum. Tu es dux et defensor meus, pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Te victima pro me factus es, et ego tibi sacrificabo hostiam laudis. Tu redemptor meus es, redimi animam meam de manu inferi, et serva me. Tu es Deus meus et omnia. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea, Deus in æternum.

GRATIARUM ACTIO ET OBLATIO SUI.

I. DEO PATRI.

Quid tibi, o Pater misericordiarum, rependam? qui sic mundum dilexisti, ut Filium tuum unigenitum dares, non modo ut mortem pro salute nostra subiret; verum etiam ut in cibum animarum nostrarum daretur, et nobiscum esset usque ad consummationem sæculi. En ipsum dilectissimum Filium tuum, quem, licet indignus, tuo beneficio nunc suscepi, meque una cum ipso, tibi in gratiarum actionem offe-

ro. Respice, quæso, non in me miserum peccatorem, sed in faciem Christi tui. Considera in Filio, quod te moveat; miserere servi; et dum illius tibi patent vulnera, mea tegantur scelera. Hic est ille tuus Filius, in quo tibi bene complacuisti: per quem, oro, et ego ita tibi placeam, ut in numerum electorum tuorum admitti, teque in gloria tua cum eodem Filio et Spiritu sancto æternum intueri et laudare merear. Amen.

II. DEO FILIO.

Quid tibi, o Fili Dei vivi, rependam? qui non modo carnem meam assumere, et pro me mori, verum etiam in eadem animata carne tua, ad me venire dignatus es, ut carne tua carni meæ, et anima tua animæ meæ unita, unus quodammodo tecum fierem, tuæque humanitatis factus consors, fierem et consors divinitatis. O immensa charitatis dignatio! Quid est homo, quod adeo magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? quem si exaltaveris, nihil tibi conferre; si damnaveris, nihil auferre potest. O mi Jesu! quibus tibi modis referam gratias? Quid retribuam pro amore illo infinito, quo me complexus es? Accipe me totum, qui cum totus perieram, te totum pro me dedisti. Sed cum ego tibi digna

oblatio esse non possim, offero tibi ipsum amantissimum Patrem tuum, una cum Spiritu sancto; offero et dilectissimam Matrem tuam, Virginem Mariam, qua nihil, post Patrem tuum et Spiritum sanctum, tibi in cœlo aut in terra potest esse charius. In unione hujus sanctissimæ oblationis, me indignum, o Jesu! suscipe, et fac me gloria tua, cujus mihi pignus in suscepto jam Sacramento dedisti, tecum æternum frui. Amen.

III. DEO SPIRITUI S.

Quid tibi, o sancte Spiritus! rependam, qui omnis amoris, a Patre et Filio in me effusi, fons et origo es? Per te Pater commotus dedit Filium suum unigenitum; per te Filius inductus seipsum pro redemptione nostra obtulit. Tu illi Mariam Virginem in Matrem præparasti; tu illi purissimum corpus ex ejusdem virginea carne præparasti, quod nunc ego, tuo quoque beneficio, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento suscepi. Tu hujus meritorum participem me facis; a te gratiarum omnium dona profluxerunt. Quas tibi gratias referam, o S. Spiritus? Accipe cor meum, quod amoris tui ac benignitatis scopum constituere dignatus es: tu illud, obsecro, ab omnibus peccatorum sordibus emunda; tu

septenis illud gratiarum tuarum donis exorna, tibi que in gratum habitaculum præpara. Veni, S. Spiritus, veni pater pauperum, veni dator munerum. Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

PETITIONES.

1. *Ne dubites hic avide et instanter multa petere tibi ipsi et proximis. Thesaurum infinitum opum cœlestium hic habes. Pete quantum vis. Aviditas petentis liberalitatem donantis provocat. Dilata os tuum, et Deus implebit illud. In primis humiliter pete veniam peccatorum, negligentia quoque, et defectuum, quos in usu hujus Sacramenti admisisti.*

O clementissime Salvator, in multitudine misericordiae et bonitatis tuae, introïvi ad mensam convivii tui, a qua, conscius miseriae et iniquitatis meae, merito abstinere debueram, ne forte accessu temerario reus fierem Corporis et Sanguinis tui.

Verum tu, dulcissime Domine, dilecta mea, et ignorantias meas ne memineris, sed potius reminiscere miserationum tuarum, Domine, ut non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Si enim iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit ? quis accedere ad mensam tuam audebit ? quis feret rigorem justitiæ tuæ ? aut quis subsistet in conspectu divinæ majestatis tuæ, coram quo etiam cœli non sunt mundi ?

Ecce, o Domine ! confiteor adversum me injustitiam meam ; tu , quæso , remitte impietatem peccati mei. Tibi soli peccavi , et malum coram te feci. Sed tu qui venisti peccatores salvos facere , salva me , nec projicias me a facie tua , pro cujus salute temetipsum sponte tradidisti in pretium ; pro cujus alimonia temetipsum in cibum dedisti. O quanta erit fiducia peccatoris , cui cognita est tanta pietas Salvatoris !

Quid ergo, o Christe Salvator , impedire me poterat, quominus venirem ad te , qui e summo cœlo, salutis meæ causa, venisti? Infirmus quidem et afflictus sum nimis ; sed an ideo a facie tua fugiam ?

Imo vel ideo solum ad te venio, quia infirmus sum ; non enim opus est bene habentibus medico , sed his qui male habent; tu autem solus es medicus animæ meæ, qui languores nostros tuo livore sanasti. Sana ergo animam meam, o Domine ! quia peccavi tibi.

Iniquitates meæ sicut onus grave grava-

tæ sunt super me , et quis alleviabit , aut quis portabit onus meum? Tu es, o Domine! Agnus Dei, qui tollis peccata mundi ; qui bajulasti crucem, ut nostram portares iniquitatem; qui dixisti : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis , et ego reficiam vos : et cur ad te non veniam , qui solus relevare potes peccatorum meorum sarcinam ?

Ego vitiis pravisque passionibus coinquinatus sum , et ideo ad te confugi ; quis enim alius mundum faciet de immundo conceptum semine, nisi tu, Domine, qui lavasti nos a peccatis nostris in Sanguine tuo? Quæso, lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Ego sum filius ille prodigus , et inobediens, qui a te profugus omnem consumpsi substantiam, et nunc extremam patior inopiam : quo ibo, si ad te non redeo, mi amantissime Pater? Tu enim es Pater misericordiarum , et Deus totius consolationis , qui semper recipis in gratiam revertentes ad te filios , et affectu paterno foves et amplecteris.

Ego quidem non sum dignus vocari filius tuus, sed tu nihilominus vis haberi et esse Pater meus. Sis itaque mihi propitius et clemens, recipe exulem filium , operi nu-

dum, refce esurientem. Quomodo misere-
tur pater filiorum, sic miserere mei, o mi-
serator et misericors Domine! Numquid
enim lætaris in morte et perditione pecca-
toris, qui ut ego viverem, pro me dignatus
es mori?

Ecce, qua fiducia ad te venio, o Christe
Salvator, quamvis sim homo peccator. Sed
tu parce mihi per infinitam misericordiam
tuam, si non ea, qua par erat cura, præ-
paratione, ac devotione tremendum hoc
peregi mysterium.

Memorare, Domine, quæ mea sit substan-
tia; spiritus quidem promptus est, caro
autem infirma; et terrena inhabitatio de-
primit sensum multa cogitantem. Domine,
ante te omne desiderium meum, et gemitus
meus a te non est absconditus.

2. *Quia jam tecum habes Deum et Salva-
torem tuum, Ducem, Medicum, Doctorem,
Patrem, et omne Bonum; Potentissimum
simul ac Optimum, id est, qui et possit et
velit tibi donare omnia ad salutem utilia;
ideo magna fiducia effunde in conspectu
ejus cor tuum, et tribulationem tuam ante
ipsum pronuntia, et opem gratiæ in neces-
sitatibus postula.*

O benignissime Deus, cupio ex toto corde
tibi servire deinceps, in justitia et sancti-

tate, omnibus diebus vitæ meæ. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas !

Hoc votis omnibus desidero, ut cor meum ab omnibus rebus creatis abstraham , tibi-que totus uniar , ut per hujus Sacramenti virtutem ego in te, et tu in me maneam. Tibi adhærere cupio , quia tu es Deus Salvator meus , Lux, Dux , Medicus , Magister , imo Pater meus , et omnia.

Utinam exhibeam corpus meum hostiam viventem, sanctam, tibi placentem ! Vivam ego, jam non ego ; vivat vero in me Christus , quem intra meipsum habeo ! Juravi, o Deus, et statui custodire judicia justitiæ tuæ.

Verum, o Domine ! velle quidem adjacet mihi , perficere autem non invenio ; quia in membris meis invenio aliam legem repugnantem legi mentis meæ, ut non quod volo bonum , hoc faciam. Ad te itaque , o Domine ! levavi oculos meos , quia imperfectum meum vident oculi tui.

Tu respice, precor , oculis misericordiæ tuæ infirmitatem meam : nam sine te nihil boni facere possumus : ex te autem est omnis sufficientia nostra. Tu itaque deduc me, Domine, in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.

Eripe me de inimicis meis, Domine, qui parasti in conspectu meo mensam (cujus nunc ex gratia tua factus sum particeps) adversus eos, qui tribulant me. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur, quia tu, Domine, adjuvisti me et consolatus es me.

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. Proba me, Deus, et scito cor meum, interroga me, et cognosce semitas meas, et vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in viam æternam; dirige in conspectu tuo viam meam, ut declinem a via, cujus novissima ducunt ad mortem.

O scrutator cordis mei, vides quam sim fragilis et pronus ad hoc... ad illud... vitium: ego quidem lapsum cavere propono; sed tamen labor, nisi tu manum supponas; adjuva ergo, o Domine! infirmitatem meam gratia tua.

3. *Virtutes Christiano homine, et tuo potissimum statu seu vocatione dignas expende; ad easque speciale auxilium gratiæ, per virtutem hujus Sacramenti, pete.*

O Christe Jesu, mitis et humilis corde, qui, cum in forma Dei esses, te ipsum exinanisti, formam servi accipiens, ac etiamnum humilias te ad manus cujuslibet in-

digni sacerdotis ; qui demittis te ad species panis et vini, adeoque a multis viliter et contemptim te tractari sinis ; da mihi , ut non sit exaltatum cor meum , neque elati sint oculi mei ; non ambulem in magnis , non altum sapiam, sed timeam.

O mi Domine, qui cum dives esses, pauperis servi formam accepisti, inclina cor meum , Deus , in testimonia tua , et non in avaritiam ; ut delecter in via testimoniorum tuorum , sicut in omnibus divitiis , ut habens victum et amictum , his contentus sim...

O Agne immaculate, qui de Virgine nasci voluisti , da mihi puritatem mentis et corporis ; per illud quod hic nobis das, vinum germinans virgines , cor mundum crea in me , Deus....

O Christe Jesu , qui .ut agnus innocens ductus es ad mortem , tot injurias et opprobria passus es, da mihi spiritum patientiæ et mansuetudinis. Discam a te mitis esse , et humilis corde....

O Christe Salvator , qui sitiens , aceto et felle potatus es, et omne spiritus delicias nobis in hoc Sacramento parasti , aufer a me ventris concupiscentias. Da, ut tibi, Deo meo, serviam, non ventri, aut voluptati. Aufer a me ventris concupiscentias, ne cor

meum umquam gravetur crapula et ebrietate....

O Domine, qui in horto cum sudore sanguinis prolixè et ferventissime orasti, fac ut laudem te ex toto corde, ne dormitet anima mea præ tædio in tuo cultu ac servitio. Redde mihi lætitiā salutaris tui...

O Domine, qui ex vera charitate pro inimicis tuis orasti, fac ut diligam proximum sicut meipsum, beneficiam his, qui oderunt me...

O dulcissime Salvator et scrutator cordium, tu nosti quid sit in homine, qui omnes vias meas consideras. Tu scis optime, quibus in hoc statu... officio... in quo per gratiam tuam constitutus sum, virtutibus et donis magis indigeam.

Tribue itaque mihi gratiam tuam, qui tam copiosum gratiæ thesaurum, imo te ipsum, gratiæ auctorem, nobis in hoc Sacramento dedisti, et me nunc ad illius participationem tam clementer admisisti. Quæ autem non obvenient illi bona, ad quem divertere dignatur fons ipse bonorum? Ingressus aliquando in Zachæi domum, dixisti: Hodie huic domui salus facta est. Ingressus jam es, o Christe! domum animæ meæ; dic ei, quæso: Salus tua ego sum: quia dicere tuum, est facere, et tu solus es

Deus, Salvator meus. Adjuva me, Deus salutaris meus, et propter gloriam nominis tui libera me et salva me : quid est enim Jesus, nisi Salvator? Vere non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

O Domine! quia tam dignanter venisti ad me, non dimittam te, nisi benedixeris mihi, tu qui aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione.

O utinam accipiam benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari meo, ut eam de virtute in virtutem, donec clare te videam, Deum deorum, in Sion, quem nunc in Sacramento velatum, et per speculum in ænigmate video.

4. Pete quoque proximis tuis, his præsertim quos habes singulariter commendatos, hujus Sacramenti fructum applicari.

O Domine, cujus viscera misericordiæ patent omnibus, qui neminem vis perire, sed omnes homines salvos fieri, ideoque pro omnibus mortem subivisti, et hoc Sacramentum instituisti : salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te : memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ, et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Subveni , quæso, famulis tuis, quos pretioso Sanguine tuo redemisti. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto, et de Sion tuere eos.

Miserere parentum, fratrum , amicorum, benefactorumque meorum, et... Communica iis meritum pretiosi Sanguinis tui in salutem nostram effusi , ut in vita præsentigratiam ad serviendum et placendum tibi percipiant , et sic demum ad æternæ vitæ gloriam perveniant , et te ipso fruantur æternum ; ut ope gratiæ tuæ sic vivam præsentem instituant , ut tandem in coelis æternæ vitæ præmia recipiant. *Adde hic etiam defunctos, etc.*

§. *Per merita beatissimæ Virginis Mariæ pete commendare Deo communionem tuam.*

O dulcissima Virgo Mater , quæ eundem Dominum, quem ego modo suscepi, de Spiritu sancto conceptum , in sacratissimo utero tuo portare meruisti ; intercede pro me apud eundem Filium, omnisque negligentiae et indignitatis , in summi hujus Sacramenti sumptione commissæ , veniam mihi impetra.

Vel sic ora cum mellifluo S. Bernardo.

O Mater misericordiæ, per te precor, accessum habeamus ad Filium, et per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excus-

set apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis ; et humilitas tua , Deo tam grata , nostræ veniam impetret vanitati et superbiæ. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fœcunditas tua gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum. O Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos commenda , tuo Filio nos reconcilia , tuo Filio nos repræsentata.

Fac, o benedicta, per gratiam , quam meruisti ; per misericordiam, quam peperisti ; ut qui, te mediante, dignatus est fieri particeps infirmitatis et miseriæ nostræ, te quoque intercedente , participes nos faciat bonitatis ac gloriæ suæ, Jesus-Christus , Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia benedictus in sæculo.

6. Sanctorum, et in primis Patronorum ope ac intercessione , fructum hujus Communionis a Deo pete.


O Sancti Dei omnes, qui jam pertransistis hujus mortalitatis pelagus , et pervenire meruistis ad portum felicitatis æternæ ; qui in carne viventes, sic Domino serviistis, ut jam cum ipso sine fine regnetis, obsecro vos per vestram charitatem , ut qui securi estis de vobis , solliciti sitis pro nobis. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit ,

qui nunc replet in bonis omne desiderium vestrum, estote memores nostri, qui adhuc in mediis naufragii periculis versamur.

Subvenite mihi misero peccatori, qui ad portum quietis, quem vos feliciter attigistis, aspiro, ut per vestras orationes, vestro tandem jungar consortio.

Sed interim, dum hæreo in via, opus mihi viatico est, ut non deficiam in via. Viaticum nostrum est Christus ipse Salvator, quo vos satiamini in patria, nos sustentamur in via, donec veniat tempus, quo vobiscum satiemur et nos ab ubertate domus Dei.

Adeste mihi, quæso, precibus meritisque vestris, ut panis ille coelestis, et viaticum divinum, quod modo sumpsi, mihi contra omnes infirmitates, pericula et insidias, præstet robur et tutamen: ut in fortitudine cibi illius ambulem, per hujus mundi desertum, usque ad montem Dei, et ibidem dulcissima illius fruitione vobiscum jugiter gaudeam, et Deum una vobiscum laudem per omnia sæcula. Amen.



ORATIO

Cui annexa est indulgentia plenaria , defunctis applicabilis, lucranda ab iis, qui vere pœnitentes, confessi , sacraque communione refecti, hanc orationem ante quamcumque SS. Crucifixi imaginem devote recitaverint, ac insuper per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suæ pie oraverint. Dec. 10 ap. 1821 et 31 jul. 1858. Huic ultimæ conditioni satisfaciunt recitando quinquies Pater et Ave, vel alias quascumque ejusdem fere temporis preces.


* En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te obsecro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei, et charitatis sensus, atque veram peccatorum meorum pœnitentiam, eaque emen-

dandi firmissimam voluntatem velis imprimere : dum magno animi affectu et dolore, tua quinque vulnera mecum ipse considero ac mente contemplor, illud præ oculis habens, quod jam in ore ponebat suo David propheta de Te, o bone Jesu : *Foderunt manus meas et pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa mea.* PS. XXI, V. 17, 18.

X.

PRECES AD LUCRANDAS,

TAM INTRA QUAM EXTRA TEMPUS JUBILÆI,
PLENARIAS INDULGENTIAS, SIBI VEL ANI-
MABUS IN PURGATORIO APPLICANDAS.



ORATIO PRÆPARATORIA.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus misericordia a peccatis omnibus, æternæque damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus poenis obnoxius permaneam, cum his diluendis opera mea non sufficiant, ad inexhaustum meritorum unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, Sanctorumque thesaurum confugio, ut hujus abundantia tenuitati et indigentiae meae subveniatur. Promptum me ad

omnia, quæ in hunc finem præstanda sunt, offero. Suscipe ea, o Pater misericordiarum, in unione passionis et mortis ejusdem Filii tui, plenariæque hujus indulgentiæ me, licet indignum, fac participem. Amen. Pater. Ave.

I. ORATIO.

Ad Deum Patrem, pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ.

Memento, o Pater æterne, congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Agnosce Ecclesiam velut sponsam unigeniti Filii tui, pro qua ipse sanguinem suum profunderi non dubitavit. Hanc, obsecro, sanctitatis decore, gratiarum opibus, et hæreditatis amplitudine ita exalta, ut digna compareat tali sponso, tantoque Redemptionis pretia. Respice benigne ejusdem S. Matris filios, eorumque numero universas gentes associa, ut omnes te Deum Patrem, et quem misisti, Jesum Christum, una cum S. Spiritu, fide viva agnoscant, spe firma invocent, et charitate perfecta complectantur. Amen. Pater. Ave.

V. Vide, Domine, et visita vineam istam.

R. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.

OREMUS.

Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

II. ORATIO.

Ad Deum Filium, pro exstirpatione hæresum.

O Jesu, lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum; fac, oro, per inæstimabilem passionis et mortis tuæ virtutem, ut pulsis hæresum et errorum tenebris, veritatis tuæ lumen omnes amplectantur, et in optatum Ecclesiæ tuæ gremium confluant. O Pastor bone, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti, gregem tuum protege, et contra vim insidiasque eorum defende, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Fac, ut unum omnes pastorem admittant, et unum omnium sit ovile. Mane nobiscum, Domine, quoniam dixisti: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Ostende Ecclesiam tuam ædificatam esse super pe-

tram, et portas inferi non prævalere adversus eam. Amen. Pater. Ave.

V. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.

R. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

OREMUS.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus et erroribus universis, secura tibi serviât libertate. Per Dominum nostrum.

III. ORATIO.

Ad S. Spiritum, pro concordia Christianorum Principum.

O S. Spiritus, Spiritus amoris et pacis, qui tot tamque diversas gentes in unitate fidei congregasti, largire christianis principibus, eorumque consiliariis abundantiam tuæ gratiæ, novoque charitatis tuæ munere præveni eorum corda, ut ex hoc omnes agnoscant, eos in numero electorum censendos, et christiano nomine dignos esse. Fac, ne ulla umquam cupiditate abducti quidquam moliantur, quod divinæ tuæ gloriæ, concordiaque Ecclesiæ adversetur: sed unitis potius viribus, ad pacis æternæ visionem, et cœlestem Jerusalem

populum sibi subjectum una secum perducere nitantur. Amen. Pater. Ave.

V. Fiat pax in virtute tua.

R. Et abundantia in turribus tuis.

OREMUS.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Dominum nostrum.

IV. ORATIO

Ad SS. Trinitatem, qua peccatorum operum, ad Indulgentias lucrandas præscriptorum, fit oblatio.

Præstitisse nunc videor, o SS. Trinitas, quæ ad plenariam debitarum poenarum indulgentiam impetrandam præscripta fuerunt. Hæc et multo etiam plura divinæ majestati tuæ, utpote innumeris nominibus obstrictos, præstare nos oportuisset. Infinitæ bonitati tuæ, profusæque in nos, licet indignissimos, liberalitati tribuendum est, quod tam cumulate vilissima debitæ servitutis nostræ opera remunereris. Suscipe ergo, o SS. Trinitas, a me quomodocumque præstita opera, et fac, ut horum defectus

passione et morte Domini nostri Jesu Christi, ejusdemque pro nobis pretiosissimo effuso sanguine suppleantur : atque ita me (*vel animam...*) plenariæ hujus indulgentiæ fac participem; pro quo beneficio tibi cœlum et terra mecum laudes et gratiarum actiones cantent, nunc et in perpetuum. Amen. Pater. Ave.

Te Deum laudamus etc. *Vide N° XIII in fine.*

In Catechismo Mechliniensi, ab Eminentissimo et Reverendissimo Principe Cardinale Sterckx latius explanato, alia ratio lucrandi indulgentias commoda ac utilissima proponitur. Ea autem ratio in eo consistit, ut quinquies, ad consuetos Ecclesiæ fines, recitetur Oratio Dominica et Salutatio Angelica, iisque precibus convenienter addantur Litanie Lauretanæ.

XI.

COMMUNE DOMINICÆ AD VESPERAS.

Pater noster. Ave Maria.

v. Deus in adjutorium.

Antiph. Dixit Dominus.

Tempore Paschali, Antiph. Alleluia.

Ps. 109. GLORIA CHRISTI MESSIÆ HIC CANITUR.

Dixit Dominus Domino meo : * sede a dextris meis :

Donec ponam inimicos tuos : * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum : * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non poenitebit eum.* Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis : * confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas : * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet : * propterea exaltabit caput.

Antiph. Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis.

Antiph. Fidelia.

Ps. 110. LAUS DEO OB BONA ECCLESÆ PRÆSTITA.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo : * in consilio justorum et congregatione.

Magna opera Domini : * exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio et magnificentia opus ejus : * et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum , misericors et miserator Dominus : * escam dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui : * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo :

Ut det illis hæreditatem gentium : * opera manuum ejus veritas et judicium.

Fidelia omnia mandata ejus : confirmata in sæculum sæculi : * facta in veritate et æquitate.

Redemptionem misit populo suo , * mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen ejus : * initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum : * laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Antiph. Fidelia omnia mandata ejus , confirmata in sæculum sæculi.

Antiph. In mandatis.

Ps. 111. BEATI TIMENTES DEUM ; MISERI PECCATORES.

Beatus vir qui timet Dominum : * in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiæ in domo ejus : * et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis : * misericors et miserator et justus.

Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio : * quia in æternum non commovebitur.

In memoria æterna erit justus : * ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus : * non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi : * cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet : * desiderium peccatorum peribit.

Antiph. In mandatis ejus cupit nimis.

Antiph. Sit nomen Domini.

Ps. 112. EXHORTATIO AD LAUDANDUM DEUM,
OB SUMMAM EJUS BONITATEM.

Laudate pueri Dominum : * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum : * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, * et super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, * et humilia respicit in cœlo et in terra ?

Suscitans a terra inopem, * et de stercore erigens pauperem :

Ut collocet eum cum principibus : * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo : * matrem filiorum lætantem.

Antiph. Sit nomen Domini benedictum in sæcula.

Antiph. Nos qui vivimus.

Ps. 113. MIRABILIA OPERA DEI CANTANTUR IN
EDUCTIONE FILIORUM ISRAËL EX ÆGYPTO.

In exitu Israël de Ægypto, * domus Jacob de populo barbaro.

Facta est Judæa sanctificatio ejus : * Israël potestas ejus.

Mare vidit, et fugit : * Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes : * et colles sicut agni ovium.

Quid est tibi mare, quod fugisti : * et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum ?

Montes exultastis sicut arietes, * et colles sicut agni ovium.

A facie Domini mota est terra, * a facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum, * et rupem in fontes aquarum.

Non nobis, Domine, non nobis : * sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua et veritate tua : * nequando dicant gentes : ubi est Deus eorum ?

Deus autem noster in cœlo : * omnia quæcumque voluit, fecit.

Simulacra gentium argentum et aurum, * opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur : * oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient : * nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt : pedes habent, et non ambulabunt : * non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea : * et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israël speravit in Domino : * adjutor eorum et protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino : * adjutor eorum et protector eorum est.

Qui timent Dominum, speraverunt in

Domino : * adjutor eorum et protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri, * et benedixit nobis.

Benedixit domui Israël : * benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum : * pusillis cum majoribus.

Adjiciat Dominus super vos : * super vos, et super filios vestros.

Benedicti vos a Domino, * qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cœli Domino : * terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te , Domine : * neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vivimus , benedicimus Domino, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Antiph. Nos qui vivimus benedicimus Domino.

Tempore Paschali , Antiph. Alleluia , Alleluia , Alleluia.

Capitulum 2. Cor. 1.

Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi , Pater misericordiarum , et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

R. Deo gratias.

Hymnus.

Lucis Creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis novæ
Mundi parans originem.

Qui mane junctum vesperi
Diem vocari præcipis;
Illabitur tetrum chaos:
Audi preces cum fletibus.

Ne mens gravata crimine
Vitæ sit exul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seseque culpis illigat.

Cœleste pulset ostium;
Vitale tollat præmium:
Vitemus omne noxium:
Purgemus omne pessimum.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.

Amen.

v. Dirigatur, Domine, oratio mea.

R. Sicut incensum in conspectu tuo.

*In Adventu Domini.**Hymnus.*

Creator alme siderum,
Æterna lux credentium,

Jesu Redemptor omnium ,
Intende votis supplicum.

Qui dæmonis ne fraudibus
Periret orbis , impetu
Amoris actus , languidi
Mundi medela factus es.

Commune qui mundi nefas
Ut expiares, ad Crucem
E Virginis Sacrario
Intacta prodis victima.

Cujus potestas gloriæ,
Nomenque cum primum sonat ,
Et cœlites et inferi
Tremante curvantur genu.

Te deprecamur ultimæ
Magnum diei Judicem ,
Armis supernæ gratiæ
Defende nos ab hostibus.

Virtus, honor, laus , gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

v. Rorate cœli desuper , et nubes pluant
justum.

R. Aperiatur terra, et germinet Salvato-
rem.

*In Quadragesima.**Hymnus.*

Audi, benigne Conditor,
Nostras preces cum fletibus,
In hoc sacro jejunio
Fusas quadragenario.

Scrutator alme cordium ,
Infirma tu scis virium :
Ad te reversis exhibe
Remissionis gratiam.

Multum quidem peccavimus,
Sed parce confitentibus ;
Ad nominis laudem tui
Confer medelam languidis.

Concede nostrum conteri
Corpus per abstinentiam :
Culpæ ut relinquunt pabulum
Jejuna corda criminum.

Præsta beata Trinitas ,
Concede simplex Unitas ,
Ut fructuosa sint tuis
Jeiuniorum munera. Amen.

v. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

*Tempore Passionis.**Hymnus.*

Vexilla Regis prodeunt,

Fulget Crucis mysterium ,
Qua vita mortem pertulit ,
Et morte vitam protulit.

Quæ vulnerata lanceæ
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus ,
Manavit unda et sanguine.

Impleta sunt quæ concinit
David fideli carmine ,
Dicendo nationibus :
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida ,
Ornata Regis purpura ,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.

Beata , cujus brachiis
Pretium pependit sæculi ,
Statera facta corporis ,
Tulitque prædam tartari.

O Crux, ave spes unica,
Hoc Passionis tempore,
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

Te, fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis spiritus :
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde præmium. Amen.

v. Eripe me, Domine, ab homine malo.

R. A viro iniquo eripe me.

*Tempore Paschali.**Hymnus.*

Ad regias Agni dapes ,
Stolis amicti candidis ,
Post transitum maris rubri,
Christo canamus Principi.

Divina cujus charitas
Sacrum propinat Sanguinem,
Almique membra Corporis
Amor Sacerdos immolat.

Sparsum cruorem postibus
Vastator horret Angelus :
Fugitque divisum mare :
Merguntur hostes fluctibus.

Jam Pascha nostrum Christus est,
Paschalis idem Victima :
Et pura puris mentibus
Sinceritatis azyma.

O vera cœli victima ,
Subjecta cui sunt tartara ,
Soluta mortis vincula ,
Recepta vitæ præmia.

Victor subactis inferis
Trophæa Christus explicat,
Cœloque aperto, subditum
Regem tenebrarum trahit.

Ut sis perenne mentibus
Paschale , Jesu , gaudium ,

A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

v. Mane nobiscum, Domine, alleluia.

R. Quoniam advesperascit, alleluia.

CANTICUM B. MARIÆ VIRGINIS. *Luce* 1.

Magnificat * anima mea Dominum :
Et exultavit spiritus meus * in Deo salu-
tari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ :
ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes
generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est :
et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in proge-
nies * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo : * dis-
persit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, * et exaltavit
humiles.

Esurientes implevit bonis, * et divites di-
misit inanes.

Suscepit Israël puerum suum, * recorda-
tus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros, *
Abraham, et semini ejus in sæcula.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Deinde dicitur Antiphona et Oratio propria.

XII.

AD COMPLETORIUM.

LECTOR INCIPIT.

v. Jube domne benedicere. *Benedictio.*
Noctem quietam, et finem perfectum concedat nobis Dominus omnipotens.

R. Amen.

LECTIO 1. *Petr.* 5.

Fratres, sobrii estote, et vigilate : quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide. Tu autem, Domine, miserere nobis.

R. Deo gratias.

Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cœlum et terram.

Pater noster. *Secreto.*

Deinde Hebdomadarius facit confessionem.

Confiteor Deo omnipotenti, etc.

Chorus respondet.

Misereatur tui omnipotens Deus, etc.

R. Amen.

Deinde Chorus repetit confessionem, et ubi dicitur vobis fratres, et vos fratres, dicatur tibi pater et te pater.

Facta confessione a Choro, Hebdomadarius dicit :

Misereatur vestri omnipotens Deus, etc.

R. Amen.

Indulgentiam, etc.

R. Amen.

Et facta absolutione, dicitur :

v. Converte nos, Deus salutaris noster.

R. Et averte iram tuam a nobis.

v. Deus, in adjutorium meum intende.

R. Domine, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri.

Sicut erat.

Ant. Miserere.

Tempore Paschali. Ant. Alleluia.

Ps. 4. IN ADVERSIS SOLI DEO FIDENDUM.

Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei : * et exaudi orationem meam.

Filii hominum usquequo gravi corde? *
ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus
Sanctum suum: * Dominus exaudiet me,
cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: * quæ di-
citis in cordibus vestris, in cubilibus ves-
tris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et spe-
rate in Domino: * multi dicunt: quis osten-
dit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus
tui, Domine: * dedisti lætitiā in corde
meo.

A fructu frumenti, vini et olei sui * mul-
tiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam, et re-
quiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe *
constituisti me.

Ps. 30. ORATIO IN PERSECUTIONE.

In te Domine speravi, non confundar in
æternum: * in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: * accelera
ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in
domum refugii: * ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu : * et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi : * quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum : * redemisti me, Domine Deus veritatis.

Ps. 90. DEO IN ADVERSIS FIDENDUM.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, * in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino : susceptor meus es tu, et refugium meum : * Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, * et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi : * et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus : * non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris : * ab incursu et dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, et decem milia a dextris tuis : * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis : *
et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea : * al-
tissimum potuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum : * et flagellum
non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te : *
ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te : * ne forte of-
fendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis :
* et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum :
* protegam eum, quoniam cognovit nomen
meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : *
cum ipso sum in tribulatione : eripiam
eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum : * et
ostendam illi salutare meum.

Ps. 133. LAUDENT OMNES DEUM UT
BENEDICANTUR.

Ecce nunc benedicite Dominum, * omnes
servi Domini.

Qui statis in domo Domini : * in atriis
domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in
sancta : * et benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion : * qui fecit cœlum et terram.

Ant. Miserere mihi, Domine, et exaudi orationem meam.

Tempore Paschali, Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

HYMNUS.

Te lucis ante terminum
 Rerum Creator, poscimus,
 Ut pro tua clementia,
 Sis præsul et custodia.
 Procul recedant somnia,
 Et noctium phantasmata :
 Hostemque nostrum comprime,
 Ne polluantur corpora.
 Præsta, Pater piissime,
 Patrique compar Unice,
 Cum Spiritu Paraclito
 Regnans per omne sæculum. Amen.

CAPITULUM. *Jerem.* 14.

Tu autem in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos : ne derelinquas nos, Domine Deus noster.

R. Deo gratias.

R. In manus tuas, Domine, * commendo spiritum meum. In manus tuas.

v. Redemisti nos, Domine Deus veritatis. Commendo.

Gloria Patri. In manus tuas.

V. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi.

R. Sub umbra alarum tuarum protege
nos.

Ant. Salva nos.

CANTICUM SIMEONIS. *Luc. 2.*

Nunc dimittis servum tuum, Domine, *
secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei * salutare tuum.

Quod parasti * ante faciem omnium po-
pulorum.

Lumen ad revelationem gentium * et
gloriam plebis tuæ Israël.

Gloria Patri.

Ant. Salva nos, Domine, vigilantes, cus-
todi nos dormientes : ut vigilemus cum
Christo et requiescamus in pace.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

Visita, quæsumus, Domine, habitationem
istam, et omnes insidias inimici ab ea
longe repelle : Angeli tui sancti habitent in
ea, qui nos in pace custodiant ; et bene-
dictio tua sit super nos semper. Per Domi-
num.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

Benedicat, et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater et Filius, et Spiritus sanctus.

R. Amen.

CANTATUR UNA EX ANTIPHONIS DE B. MARIA.

A vesperis Sabbati ante Dominicam primam Adventus, usque ad Purificationem inclusive.

ANTIPHONA.

**Alma Redemptoris Mater, quæ pervia coeli
Porta manes, et stella maris, succurre ca-
denti,**

**Surgere qui curat, populo : tu quæ genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum Genitorem ;
Virgo prius ac posterius, Gabriëlis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.**

In Adventu :

V. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

R. Et concepit de Spiritu sancto.

ORATIO.

Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde : ut qui Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem

**ad resurrectionis gloriam perducamur. Per
eundem Christum Dominum nostrum.**

R. Amen.

***A primis Vesperis Nativitatis , usque ad
Festum Purificationis :***

**v. Post partum , Virgo , inviolata per-
mansisti.**

R. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

ORATIO.

**Deus , qui salutis æternæ , beatæ Mariæ
Virginitate fœcunda, humano generi præmia
præstitisti : tribue, quæsumus, ut ipsam
pro nobis intercedere sentiamus, per quam
meruimus auctorem vitæ suscipere, Domi-
num nostrum Jesum Christum Filium tuum.**

R. Amen.

***Post Purificationem, id est, a fine Com-
pletorii illius diei inclusive , usque ad
Feriam quintam in Cæna Domini exclusive.***

ANTIPHONA.

**Ave, Regina cœlorum ,
Ave, Domina Angelorum :
Salve, radix , salve, porta,
Ex qua mundo lux est orta.**

**Gaude, Virgo gloriosa ,
Super omnes speciosa :
Vale , o valde decora !
Et pro nobis Christum exora.**

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
 R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

ORATIO.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium : ut qui sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio, a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

A Completorio Sabbati sancti, usque ad Nonam Sabbati post Pentecosten inclusive.

ANTIPHONA.

Regina cœli, lætare, alleluia,
 Quia quem meruisti portare, alleluia,
 Resurrexit sicut dixit, alleluia :
 Ora pro nobis Deum, alleluia.

V. Gaude et lætare, Virgo Maria, alleluia.

R. Quia surrexit Dominus vere, alleluia.

ORATIO.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum lætificare dignatus es : præsta, quæsumus, ut per ejus genitricem Virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

*A primis Vesperis Festi SS. Trinitatis
usque ad Nonam Sabbati ante Adventum.*

ANTIPHONA.

Salve, Regina, Mater misericordiæ, vita ,
dulcedo, et spes nostra , salve. Ad te cla-
mamus, exules filii Evæ. Ad te suspiramus,
gementes et flentes in hac lacrymarum
valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos
misericordes oculos ad nos converte ; et
Jesum benedictum fructum ventris tui ,
nobis post hoc auxilium ostende. O cle-
mens ! o pia ! o dulcis Virgo Maria.

v. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus
Christi.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus , qui glorio-
sæ Virginis Matris Mariæ corpus et animam,
ut dignum Filii tui habitaculum effici me-
reretur , Spiritu sancto cooperante præ-
parasti : da , ut cujus commemoratione
lætamur , ejus pia intercessione ab instan-
tibus malis, et a morte perpetua liberemur.
Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

v. Divinum auxilium maneat semper no-
biscum.

R. Amen.

XIII.

LAUDES VESPERTINÆ
VENERABILIS SACRAMENTI.



HYMNUS PRIMUS.

* Pange, lingua, gloriosi
Corporis mysterium ,
Sanguinisque pretiosi ,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine ,
Et in mundo conversatus ,
Sparso verbi semine ,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus ,
Observata lege plene
Cibis in legalibus ,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Verbum caro , panem verum
Verbo carnem efficit ,
Fitque sanguis Christi merum ,

Et si sensus deficit :

Ad firmandum cor sincerum

Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum

Veneremur cernui ,

Et antiquum documentum

Novo cedat ritui :

Præstet fides supplementum

Sensuum defectui.

Genitori , Genitoque

Laus et jubilatio ,

Salus , honor , virtus quoque ,

Sit et benedictio :

Procedenti ab utroque

Compar sit laudatio. Amen.

RHYTHMUS PRIOR.

Ave, verum Corpus , natum

Ex Maria Virgine ,

Vere passum , immolatum ,

In cruce pro homine ,

Cujus latus perforatum

Vero fluxit sanguine.

Esto nobis prægustatum ,

Mortis in examine.

O clemens , o pie ,

O dulcis Jesu Fili Mariæ.

RHYTHMUS POSTERIOR.

Adoro te devote, latens Deitas ,
Quæ sub his figuris vere latitas :
Tibi se cor meum totum subjicit ,
Quia te contemplans, totum deficit. (1)

Visus, gustus, tactus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius :
Nil hoc verbo Veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas ,
At hic latet simul et Humanitas :
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto , quod petivit latro pœnitens.

Plagas , sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere ,
In te spem habere , te diligere.

O memoriale mortis Domini !
Panis vivus, vitam præstans homini !
Præsta meæ menti de te vivere ,
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pelicane, Jesu Domine ,
Me immundum munda tuo Sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

(1) Ave , Jesu , Pastor fidelium.

Adauge fidem omnium in te credentium.

Jesu , quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio ,
Ut , te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ.

v. Panem de cœlo præstitisti eis.

R. Omne delectamentum in se habentem.

OREMUS.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili,
passionis tuæ memoriam reliquisti : tribue,
quæsumus, ita nos Corporis et Sanguinis
tui sacra mysteria venerari , ut redemptionis
tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus.
Qui vivis et regnas cum Deo Patre , in uni-
tate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula
sæculorum. Amen.

ANTIPHONA.

O sacrum convivium, in quo Christus
sumitur, recolitur memoria passionis ejus,
mens impletur gratia , et futuræ gloriæ
nobis pignus datur , alleluia.

RESPONSORIUM PRIMUM.

Homo quidam fecit cœnam magnam , et
misit servum suum hora cœnæ dicere in-
vitatis, ut venirent : * Quia parata sunt om-
nia. v. Venite, comedite panem meum , et
bibite vinum quod miscui vobis. * Quia.

**Gloria Patri , et Filio, et Spiritui sancto. *
Quia.**

RESPONSORIUM SECUNDUM.

Immolabit hædum multitudo filiorum
Israël ad vesperam Paschæ : * Et edent
carnes, et azymos panes. v. Pascha nostrum
immolatus est Christus : itaque epulemur
in azymis sinceritatis et veritatis. * Et Glo-
ria Patri , et Filio , et Spiritui sancto. * Et.

RESPONSORIUM TERTIUM.

Respexit Elias ad caput suum subcineri-
cium panem : qui surgens comedit, et bi-
bit : * Et ambulavit in fortitudine cibi
illius usque ad montem Dei. v. Si quis
manducaverit ex hoc pane , vivet in æter-
num. * Et ambulavit. Gloria Patri , et Filio,
et Spiritui sancto. * Et ambulavit.

RESPONSORIUM QUARTUM.

Ego sum panis vitæ : patres vestri man-
ducaverunt manna in deserto , et mortui
sunt : * Hic est panis de cœlo descendens ,
ut si quis ex ipso manducet, non moriatur.
v. Ego sum panis vivus , qui de cœlo des-
cendi : si quis manducaverit ex hoc pane ,
vivet in æternum. * Hic est. Gloria Patri ,
et Filio , et Spiritui sancto. * Hic est.

RESPONSORIUM QUINTUM.

Qui manducat meam carnem, et bibit
meum sanguinem, * In me manet, et ego
in eo. v. Non est alia natio tam grandis,
quæ habeat deos appropinquantes sibi,
sicut Deus noster adest nobis. * In me.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. *
In me.

RESPONSORIUM SEXTUM.

Misit me vivens Pater, et ego vivo propter
Patrem: * Et qui manducat me, vivet
propter me. v. Cibavit illum Dominus pane
vitæ, et intellectus. * Et qui. Gloria Patri,
et Filio, et Spiritui sancto. * Et qui.

HYMNUS SECUNDUS.

Sacris solemniis juncta sint gaudia,
Et ex præcordiis sonent præconia;
Recedant vetera, nova sint omnia,
Corda, voces et opera.

Noctis recolitur cœna novissima,
Qua Christus creditur agnum et azyma
Dedisse fratribus, juxta legitima
Præcis indulta patribus.

Post agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum discipulis,
Sic totum omnibus, quod totum singulis,
Ejus fatemur manibus.

Dedit fragilibus corporis ferculum ,
Dedit et tristibus sanguinis poculum ,
Dicens : Accipite, quod trado vasculum ,
Omnes ex eo bibite.

Sic Sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis presbyteris, quibus sic congruit,
Ut sumant, et dent ceteris.

Panis Angelicus fit panis hominum :
Dat panis cœlicus figuris terminum :
O res mirabilis ! manducat Dominum
Pauper, servus, et humilis.

Te trina Deitas, unaque poscimus ,
Sic nos tu visita , sicut te colimus :
Per tuas semitas duc nos quo tendimus,
Ad lucem quam inhabitas. Amen.

HYMNUS TERTIUS.

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitæ vesperam.

In mortem a discipulo
Suis tradendus æmulis,
Prius in vitæ ferculo
Se tradidit discipulis.

Quibus sub bina specie
Carnem dedit et Sanguinem,
Ut duplicis substantiæ
Totum cibaret hominem.

Se nascens dedit socium,
Convalescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

O salutaris Hostia
Quæ cœli pandis ostium :
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.

Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria. Amen.

HYMNUS QUARTUS.

Salutis humanæ sator,
Jesu voluptas cordium,
Orbis redempti conditor,
Et casta lux amantium.

Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina ?
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres ?

Perrumpis infernum chaos ;
Vinctis catenas detrahis ;
Victor triumpho nobili
Ad dexteram Patris sedes.

Te cogat indulgentia,
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.

Tu Dux ad astra, et semita,
Sis meta nostris cordibus,
Sis lacrymarum gaudium,
Sis dulce vitæ præmium. Amen.

HYMNUS QUINTUS.

Æterne Rex altissime,
Redemptor et fidelium,
Cui mors perempta detulit
Summæ triumphum gloriæ.

Ascendis orbes siderum,
Quo te vocabat cœlitus
Collata, non humanitus,
Rerum potestas omnium.

Ut trina rerum machina,
Cœlestium, terrestrium,
Et inferorum condita
Flectat genu jam subdita.

Tremunt videntes Angeli
Versam vicem mortalium :
Peccat caro, mundat caro,
Regnat Deus Dei caro.

Sis ipse nostrum gaudium,
Manens olympo præmium,
Mundi regis qui fabricam,
Mundana vincens gaudia.

Hinc te precantes quæsumus,
Ignosce culpis omnibus,
Et corda sursum subleva
Ad te superna gratia.

Ut cum repente cœperis
Clarere nube Judicis,
Pœnas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

HYMNUS SEXTUS.

Lauda Sion salvatorem,
Lauda ducem et pastorem,
In hymnis et canticis.

Quantum potes, tantum aude,
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis,
Panis vivus et vitalis
Hodie proponitur.

Quem in sacræ mensa cœnæ,
Turbæ fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda, sit decora,
Mentis jubilatio.

Dies enim solemnis agitur,
In qua mensæ prima recolitur
Hujus institutio.

In hac mensa novi regis,

Novum pascha novæ legis,
Phase vetus terminat.

Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

Quod in cœna Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.

Docti sacris institutis,
Panem, vinum in salutis
Consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis,
Quod in Carnem transit panis,
Et vinum in Sanguinem.

Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides
Præter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus,
Signis tantum et non rebus,
Latent res eximiæ.

Caro cibus, Sanguis potus,
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.

A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur.

Sumit unus, sumunt mille;
Quantum isti, tantum ille;
Nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali ;
Sorte tamen inæquali,
Vitæ vel interitus.

Mors est malis, vita bonis :
Vide paris sumptionis
Quam sit dispar exitus.

Fracto demum Sacramento,
Ne vacilles, sed memento,
Tantum esse sub fragmento,
Quantam toto tegitur.

Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura,
Qua nec status, nec statura
Signati minuitur.

Esse panis Angelorum,
Factus cibus viatorum :
Vere panis filiorum,
Non mitendus canibus.

In figuris præsignatur,
Cum Isaâc immolatur :
Agnus Paschæ deputatur :
Datur manna patribus.

Bone pastor, panis vere,
Jesu nostri miserere :
Tu nos pasce, nos tuere :
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.

Tu, qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales :

Tuos ibi commensales,
 Cohæredes et sodales
 Fac sanctorum civium. Amen.

Cum preces pro Laudibus vespertinis Venerabilis Sacramenti, etiam, quum illud post prandium, vel alia quacumque diei hora, invisitur, optime ad fovendam augendamque devotionem possint adhiberi, aliquot endologias e Ludovico Blosio hic colligendas duximus, ne quidquam omnino adorantium pietati hic deesse videatur.

QUATUOR ENDOLOGIÆ AD JESUM.

I.

O dulcissime, secretissime, et præsentissime sanctarum animarum sponse Jesu, accende, quæso, cor meum vehementer in amorem tui, ut diligam te ex penitissimis medullis animæ meæ. Visita me misericorditer, et mentem meam reple gratia tua: quia te fontem suavitatis valde expetunt intima mea.

O Domine mi Jesu, o ignis qui dulciter ardes, et secrete luces, suaviterque aduris, occupa totam regionem mentis meæ. O Rex Regum, Rex æternæ gloriæ, da ut te solum esuriam et sitiam, ad te suspirem, tuamque mellifluam faciem videre æstuanter concupiscam.

Transfige , amabilis Jesu , medullas animæ meæ suavissimo dilectionis telo : perfode cor meum ignea charitate , ut prorsus langueat anima mea tui desiderio et amore. Tota amore resolvatur, tota liquefiat, tota in te transeat.

Separa, Domine, mentem meam ab omnibus quæ sub coelis sunt , ut ipsa tibi soli libere intendat , tu solus illam ut proprius possessor inhabites. Descendat in me suavissimus odor tuus : veniat mihi divinæ charitatis tuæ inenarrabilis fragrantia, quæ puras et sempiternas in me suscitet concupiscentias.

Da , Domine mi , ut ego totus dulcedine amoris tui plenus , totus flamma sanctæ charitatis succensus , diligam te ex toto corde meo , et ex intimis medullis præcordiorum meorum. Diligam te , o suavis amator : diligam te , o unica salus animæ meæ : diligam te , quia prior dilexisti me.

Præsta , o pulcherrime et deliciosissime sponse Jesu , ut magis magisque te amem. Valida vis amoris tui funditus a me excutiat pondus omnium terrenorum desideriorum , et indesinenter currere me faciat in odore unguentorum tuorum.

Scribe , clementissime mi, in tabula cordis mei dulcem memoriam tui, nulla um-

quam oblivione delendam, ut tui desiderio semper æstuem, igne amoris tui totus ardeam, et diluvio charitatis tuæ penitus absorbear.

II.

O Pelagus sanctæ dilectionis atque dulcedinis, Deus meus, veniet tribue te animæ meæ. Da ut integro corde, pleno desiderio, flammantique affectu jugiter aspirem ad te, et suavissime respirem in te. Te omni creaturæ præferam, propter te omni transitorie delectationi renuntiem, o vera et summa exultatio mea.

Pasce me, Domine, esurientem mendicum tuum jugi influxo divinitatis tuæ, lætifica me optata præsentia gratiæ tuæ. Hoc peto, hoc desidero, ut vehemens amor me totum penetret, repleat, atque in se transmutet.

Da, benignissime Redemptor, ut tui dilectione totus ignescam, totus a meipso deficiam, in te solo delecter, te solum sciam et sentiam. O supereffluens abyssus divinitatis! trahe et immerge me in te: totam affectionem cordis mei ita abripe et tibi applica, ut ipsa ad cætera omnia sit prorsus exanimis.

Te invoco in animam meam, dulcis Deus:

te inclamo, te grandi affectu requiro, o suavis amœnitas intimorum amplexuum. Veni dilecte mi, veni millies exoptate, ut te intus possideam, et ulnis animæ meæ castissime complectar.

O lux quæ semper luces, et numquam offuscaris, illumina me: o ignis qui semper ardes, et numquam extingueris, accende me: o amor qui semper ferves, et numquam tepescis, absorbe me, et transmuta in te.

O charum lumen oculorum meorum Jesu, expelle tenebras omnes e domicilio mentis meæ, meque totum illustra splendore gratiæ tuæ. Intra in animam meam, o dulcedo summa, ut dulcia sapiat, et in te solo gaudeat atque quiescat.

O dilecte mi, dilecte votorum meorum, concede ut te inveniam, inventumque teneam, et brachiis spiritualibus arctissime constringam. Te desidero, ad te anhele, o beatitudo æterna. Utinam te mihi dones, et me tibi intime unias, atque mero divinæ charitatis totum inebries.

III.

Saucia, Domine, interioris hominis arcana jaculo tui amoris, et in medullas frigidæ torpentisque animæ flammam salutarem immitte: ut ego inextinguibili charitatis

ardore succensus, indicibilique suavitate spiritus tui penetratus, prorsus a me transferar in te.

Recipe me, o floride sponse Jesu, inter amoris tui suavissimos amplexus, quibus constrictus spiritus meus gelidus, totus incalescat. Aperi, Domine, aperi pulsanti, et orphanam animam in dilectionis tuæ conclave admitte, tibi que misericorditer eam copula.

Hauriam ex te aquam vivam, o fons mellitissime, qua gustata, nihil jam præter te sitiam. Descendat in me cœlestis ros suavi-fluæ charitatis tuæ, quo intime imbutus, purus a terrenis cupiditatibus et adulterinis amoribus conserver.

O charorum omnium charissime, præsta ut ego totus tuus sim, et tu meus in æternum permanear. Sic me tibi conjunge, sic agglutina, ut numquam a te separari possim; sic te mihi præbe, sic communica, ut pacis tuæ dulcedine repletus, jugiter in te caste deliciar.

O tranquilla et serena lux, Deus meus, animam meam tuis illustrationibus irradia. Junge me tibi viciniùs, o sol rutilantissime, ut ad calorem virtutis tuæ, flores et fructus sanctæ dilectionis tuæ, flores et fructus sanctæ dilectionis progerminet terra cordis mei.

Eia honor meus, gaudium meum, et sincera voluptas mea Jesu, tantum, quæso, amoris tui flammam in penetralibus cordis mei excita, ut deinceps nihil sub sole eligam, nihil concupiscam præter te.

O Domine mi, cælum, terra, et omnia quæ his continentur, sine te sint mihi veluti hibernum gelicidium. Tu solus me afficias, solus lætifies: tui solius amor in intimis meis vivat et ardeat, ac vivus atque ardens permaneat.

IV.

Illucesce mihi, o lux fulgida et gratiosa, ut in meridiem clarissimam vertantur densissimæ tenebræ cæcitatis meæ. Exorna, o bone Jesu, animam meam illo charitatis decore, quem diligis: impingua eam illo amoris adipe, quo delectaris. Aufer ab eo quidquid oculis tuis minus placet, et eam redde tibi per omnia acceptam.

O ardor suavissime, vora, et feliciter consume pulvisculum totius substantiæ meæ. Transfer me in te, ut ego indissolubili amoris glutino tibi adhærens, vivam ex te, et tamquam lilium effloream coram te.

O venustissime atque vernantissime flos Jesu, o vita perennis, vita per quam vivo, sine qua morior, vita per quam gaudeo,

sine qua mœreo, vita dulcis et amabilis , concede ut tibi jungar, te amplectar , et suavi charitate soporatus, in te, qui es pax gratissima , sancte obdormiam.

Da, Domine mi, ut anima mea virtute ardentis amoris conflata , et dulcedine penetrantis charitatis liquefacta, tota effluat in te. Posside eam, o summum atque incommutabile bonum, posside eam, ut ipse possideat te, et beata sit de te.

Confige, dilecte mi, et transverbera cor meum acutissimo dilectionis telo, ut ego amore tui salubriter langueam. Omnia transitoria mihi vilescant , tu solus placeas , solus incomparabili pulchritudine tua me lætifies.

Dirue , dulcis Jesu, odiosam maceriam tepidæ conversationis meæ, et præsta, ut paratus ac liber inextinguibili fervore sequar te. Produca austrum ardentissimæ dilectionis, qui me tam valido impetu impellat in te , ut spiritum non habeam extra te.

O unice cordis mei consolator Jesu , demitte, quæso, in me jugiter gratiarum tuarum stillicidia. Attrahe me potenti virtute amoris tui , mihi que tuæ propitiationis osculum imprime, quo consignatus, nihil posthac diligam præter te ; quia tu es tota possessio , totaque beatitudo animæ meæ.

Post exhibitum SS. Sacramento cultum divinum, Laudesque Domini nostri Jesu Christi, Dei et Hominis, toto corde decantatas, fere semper canitur una ex Antiphonis, quas reperies in fine Completorii. Vide N^o XII. Quod si alias preces ad Beatam Virginem præterea quæras, alterutram ex his suavissimis endologiis Ludovici Blossii ad benignissimam nostram Matrem seligere poteris.

ENDOLOGIA AD MARIAM PRIOR.

Ave suavis Maria, quæ sine dolore, sine virginitatis detrimento peperisti nobis Salvatorem, exultantibus Angelis. O Virgo mater, tu es veri Salomonis templum, tu arca Dei et propitiatorium, tu porta clausa, quam vidit Ezechiel; tu hortus conclusus et fons signatus. Reple, quæso, cor meum atque omnes sensus meos gratia cœlesti, ut innovato in me bono spiritu, vitam tibi Filioque tuo placentem agam.

Ave suavis Maria, quæ Jesum, castissimi uteri tui fructum, panniculis involvisti, vagientemque reclinasti in præsepio. Utinam tui amor cor meum sic occupet, sic innocentis vitæ puritas me quasi modo genitum infantem exornet, ut inter quaslibet adversitates a te adjuvari, tuæque visitationis beneficio recreari merear!

Ave suavis Maria , quæ Jesum puerulum virgineis tuis tuis uberibus lactasti, et eum ulnis gestans , pro tuo desiderio tibi suaviter adstrinxisti, oculisque delinisti. Da, ut ego ærumnis et tentationibus hujus exilii pressus, semper ad sinum maternæ pietatis tuæ confugiam, et spiritualis consolationis lacte per te refocillatus, omnes impuras delectationes respuam.

Ave suavis Maria , quæ infantiam pueritiamque Salvatoris maternis officiis sedula fovisti, et eum adolescentem factum atque evangelizantem devote secuta es. Præsta, ut ego te diligam, te sequar, tui præsentiam desiderem, et omnia transitoria prorsus despiciam.

Ave suavis Maria, quæ propter Unigeniti tui labores, persecutiones et atrocem ignominiosamque passionem indoluisti ex intimis piissimi cordis tui visceribus. Da, ut ipsum Deum meum, pro his quæ mei causa fecit ac pertulit, semper laudem , et omnium qui in miseriis atque calamitatibus constituti sunt, vere commiserescam.

Ave suavis Maria , cujus beatam animam gladius doloris pertransivit, quando sub cruce Filii tui pendentis , acerbissimosque cruciatus tolerantis , et sanguinem suum fundentis , atque ad extremum expirantis,

stetisti tota lacrymosa. Da mihi tecum stare, et grata mente recolere passionem mortemque ejusdem Unigeniti tui, mei Redemptoris.

Ave suavis Maria, quam Jesus Christus sua triumphali resurrectione exhilaravit, et post ascensum ad Patrem, cum ineffabili gloria in cœlum assumpsit, ubi tu illustris Regina resides, supra choros Angelorum exaltata. Humiliter te precamur, ut nostri curam geras, nosque tuis orationibus misericorditer excuses apud ipsum Filium tuum, judicem vivorum ac mortuorum. Amen.

ENDOLOGIA AD MARIAM POSTERIOR.

Ave Domina præcellentissima, et inter sanctos post Deum sanctissima Maria; quæ virginea fecunditate, fecundaque virginitate admirabilis, Jesum Christum mundi Salvatorem genuisti. Tu gratissimum Dei templum, tu Spiritus sancti venerandum sacramentum, tu adorandæ Trinitatis gloriosum triclinium. Per te, Domina, vivit orbis terrarum; ad tui memoriam hilaescent et recreantur fideles animæ. Inclina, quæso, aures tuæ pietatis precibus hujus servi tui, hujus miseri peccatoris; et caliginem vitiorum meorum radiis tuæ sanctitatis dissipa, ut tibi placeam.

Ave benignissima misericordiæ mater ,
salve veniæ gratiæque conciliatrix optatis-
sima Maria. Quis te nos amet ? quis non
colat ? Tu enim in rebus dubiis es charum
lumen, in mœroribus solatium, in angustiis
relevamen , in periculis et tentationibus
refugium, tu post Unigenitum tuum certa
es fidelium salus. Tu diceris et vere es om-
nium feminarum præstantissima , omnium
gratiosissima, omnium jucundissima. Beati
qui diligunt te, Domina ; beati qui te vene-
rantur ; beati ter quaterque et amplius, qui
per vitæ sanctimoniam tibi familiares effe-
cti sunt. Tuæ pietati commendo animam
meam et corpus meum ; dirige, doce et
protege me singulis horis atque momentis,
o dulce præsidium meum.

Ave magnifica aula et splendidum pala-
tium Imperatoris æterni Maria , salve odo-
riferum Deitatis reclinatorium. Tu es femi-
na illa amabilis , pia , prudens , generosa,
elegans, suspicienda. Tu es illa cœli terræ-
que Regina , quæ progredieris quasi aurora
consurgens , pulchra ut luna, electa ut sol,
et eadem terribilis dæmonibus sicut castro-
rum acies ordinata. Præsta , Domina , ut
inter procellas hujus vitæ semper te atten-
dam ; et contemptis rebus visibilibus, amœ-
nas illas pulchritudines, pulchrasque amœ-
nitates paradisi contempler.

Ave sidus fulgentissimum et clarissimum jubar Maria, ex qua sol justitiæ Christus Deus noster ortus est. Tu Virgo illa ultra omnem pulchritudinem decora, tu mater illa ultra omnem honestatem gratiosa, quæ benignis oculis pios Ecclesiæ filios intue-
ris toto orbe terrarum. Dulce nomen tuum recreat defessos, serenus splendor tuus illuminat cæcos, suavis odor aromatum tuorum lætificat justos, benedictus fructus uteri tui satiat Beatos : tu Angelorum hominum-
que laudes prima post Dominum promere-
ris. Ora pro me, Domina, ut tuis precibus adjutus, Christum Deum, teque Dominam Angelorum in Sion videre et glorificare merear.

Ave summæ lætitiæ beatissima parens Maria, per quam coelestis benedictio, et felicitas æterna ad nos dimanavit. Tu enim benedicta inter mulieres, donis spiritualibus superfusa, nobis enixa es Redemptorem. De te carnem assumpsit, et ex virgineo utero tuo prodiit infantulus ille JESUS CHRIS-
TUS, unicus salutis auctor, quo nihil suavius, nihil pulchrius, nihil præstantius existit; post quem nihil dignius, nihil divinius, nihil optatius cogitari potest. Religiosa tui memoria mœstos exhilarat, casta tui contemplatio Sanctos demulcet, fidelis

tui veneratio peccatores emundat ; omnes filii Dei gratam mentis requiem in te inveniunt. Impetra mihi , quæso Domina, perfectam cordis puritatem , ut ex eorum sim numero qui Unigenitum tuum , teque cœli Reginam contueri ac laudare merentur in sæcula.

Ave Maria virgo ornatissima, virgo sole serenior et astris lucidior ; virgo melle dulcior et balsamo suavior ; virgo rosis rubicundior et liliis candidior. Tu fons hortorum vernantium, tu puteus aquarum viventium, tu thronus aureus veri Salomonis , tu vas purissimum omni amaritudine carens , tu cella mundissima longe lateque gratissimum odorem diffundens. Dominus creavit te Virginem immaculatam , elegit te humilem ancillam , concupivit te amabilem sponsam : tu es totius generis humani gloria , ac totius orbis singulare miraculum. Ne averseris me indignum peccatorem, o Domina ; sed ex sordido fac mundum , ex remisso alacrem, ex arido devotum.

Ave desperantium spes opportuna, et destitutorum auxiliatrix præsentissima Maria, cujus honori tantum tribuit Filius, ut quidquid petieris, mox impetres , quidquid voveris mox fiat. Tibi regni cœlestis thesauri commissi sunt. Tu Cherubim honoratior, et

Seraphim Deo proximior. Tu Abraham , Isaac et Jacob patrum tuorum eximium decus. Nominis tui gloriam , dignitatis tuæ splendorem , pietatis tuæ abundantiam, omnis ætas , sexus et lingua confitetur. Exaltata es, o Domina, supra choros Angelorum ; tamquam dies verni circumdant te flores rosarum et lilia convallium. Sana me , o Beata , et sanabor ; salvum me fac , et salvus ero , tibi que benedicam in æternum. Amen.

Post Antiphonam cantatur Salutatio Angelica ; tum canitur GENITORI, et post datam benedictionem clauditur tabernaculum. Finitis sic laudibus , non raro fit gratiarum actio, solemniter cantato Psalmo sequenti :

Laudate Dominum omnes gentes : laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : et veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri , et Filio, et Spiritui sancto ; Sicut erat in principio , et nunc et semper , et in sæcula sæculorum. Amen.

Ubi in Ecclesiis habetur solemnior quedam festi alicujus celebratio, sollemnitatem non raro claudit sequens

HYMNUS

SS. AMBROSII ET AUGUSTINI.

Te Deum laudamus : te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem : omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli : tibi cœli et universæ potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim : incessabili voce proclamant :

Sanctus , Sanctus , Sanctus : Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli et terra : majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus,
Te Prophetarum laudabilis numerus,
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia,

Patrem immensæ Majestatis.

Venerandum tuum verum et unicum Filium,

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Christe.

Te Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem : non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo : aperuisti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei sedes : in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni : quos pretioso Sanguine redemisti.

Æternæ fac cum Sanctis tuis : in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine : et benedic hæreditati tuæ.

Et rege cos : et extolle illos usque in æternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum : et in sæculum sæculi.

Dignare, Domine, die isto ; sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine : miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos : quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi : non confundar in æternum.

V. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum.

R. Et laudabilis, et gloriosus in sæcula.

V. Benedicamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

V. Benedictus es, Domine Deus, in firmamento cœli.

R. Et laudabilis et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

V. Benedic anima mea Domino.

R. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimæ majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes : ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem nos deserens ad præmia futura disponas.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti : da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus

præstas auditum; pro postulationibus nostris votisque susceptis gratias agimus, te piissime deprecantes, ut a cunctis semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum.

XVI.

PRECES VESPERTINÆ.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

v. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

LITANIÆ BEATÆ Mariæ VIRGINIS.

* Kyrie, eleïson.

Christe, eleïson.

Kyrie, eleïson.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis,

Sancta Dei genitrix,

Sancta virgo virginum,

Mater Christi,

Mater divinæ gratiæ,

Mater purissima,

Mater castissima,

Mater inviolata,

Mater intemerata,

Mater amabilis,

Mater admirabilis,

Mater Creatoris,

Mater Salvatoris,

Virgo prudentissima,

Virgo veneranda,

Virgo prædicanda,

Virgo potens,

Virgo clemens,

Ora pro nobis.

Virgo fidelis,
 Speculum justitiæ,
 Sedes sapientiæ,
 Causa nostræ lætitiæ,
 Vas spirituale,
 Vas honorabile,
 Vas insigne devotionis,
 Rosa mystica,
 Turris Davidica,
 Turris eburnea,
 Domus aurea,
 Fœderis arca,
 Janua cœli,
 Stella matutina,
 Salus infirmorum,
 Refugium peccatorum,
 Consolatrix afflictorum,
 Auxilium christianorum,
 Regina Angelorum,
 Regina Patriarcharum.
 Regina Prophetarum,
 Regina Apostolorum,
 Regina Martyrum,
 Regina Confessorum,
 Regina Virginum,
 Regina Sanctorum omnium,
 Regina sine labe originali concepta,
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce
 nobis, Domine,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi
nos, Domine,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, mise-
rere nobis,

v. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus
Christi.

OREMUS.

Gratiam tuam, quæsumus, Domine,
mentibus nostris infunde; ut qui angelo
nuntiante Christi Filii tui incarnationem,
per Passionem ejus et Crucem ad resur-
rectionis gloriam perducamur. Per eum-
dem Christum Dominum nostrum. Amen.

Instituatur examen conscientię. (Pausa.)

*Vivus excitetur dolor de peccatis com-
missis et eliciantur actus Fidei, Spei,
Charitatis et Contritionis, ut supra pag. 6.*

OREMUS PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS.

De profundis, etc. *Vide supra pag. 33.*

v. Requiem æternam dona eis, Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

v. A porta inferi.

R. Erue, Domine, animas eorum.

v. Requiescant in pace.

R. Amen.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

v. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

v. Requiem æternam dona eis, Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

v. Requiescant in pace.

R. Amen.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et gubernas. Amen.

Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo et requiescamus in pace. Amen.

Fit lectio spiritualis, nisi facta sit post recitationem Rosarii, et præparatur materies meditationis mane proxime sequenti instituendæ; quibus exercitiis finitis, dicitur una e quatuor Antiphonis de beata Maria Virgine, pro tempore. Vide pag. 184. Tum precibus vespertinis imponitur finis,

formato signo crucis, vel, si adsit sacerdos, accepta ab eo benedictione.

Exuens te vestibus dic Ps. Miserere, vel De profundis,

Dum, sumpta aqua benedicta, lectum ingrederis, dic : In nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi cubitum eo; ille me benedicat, regat, custodiat, et ad vitam perducatur æternam. Amen.

In lecto jam decumbens, dic : In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; redemisti me, Domine Deus veritatis. In pace in idipsum dormiam et requiescam. Sic pie indormisce.

Poterunt etiam sequentes Preces Vespertinæ utilissime fieri.

I. Age gratias.

O clementissime Deus, Creator, Protector ac Redemptor meus! Te benedico, laudo et glorifico cum omnibus Angelis et Electis Dei; gratiasque ago pro animi et corporis donis, ac beneficiis mihi hodie et alias liberalissime collatis. Quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Me totum, et omnia quæ dedisti mihi, insuper et omnium Sanctorum laudes et amoris affectus, in unione Passionis ac Meritorum Christi, tibi pro

merita gratiarum actione offero. Suscipe, o Pater æternæ, hanc oblationem meam; utinam majori affectu nunc, et in æternum cum omnibus creaturis te laudare et glorificare possem! Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. *Ps. 56. 10.*

II. *Pete lumen.*

Veni, sancte Spiritus, et emitte cœlitus lucis tuæ radios; illumina mentis meæ tenebras, ut peccata hodie commissa, negligentiasque meas videam, agnoscam et detester.

III. *Discute mentem.*

Quantas habeo iniquitates et peccata! Scelera mea et delicta ostende mihi.

Omnes diei horas percurre, et vide, quid boni neglexeris, quid mali commiseris, cogitatione, verbo et opere.

IV. *Delicti veniam posce.*

En, Domine Deus, quid retribuui tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi, nisi peccata, negligentias et ingrattitudines? Ah! quam doleo, quod te Deum, summum bonum meum, mihi super omnia dilectum, umquam offenderim! Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Erravi, sicut ovis, quæ periit. Respice in me, et miserere

mei. Ignosce per gemitus, lacrymas, passionem et mortem dilectissimi Filii tui Domini mei Jesu Christi.

Ecce, mi Jesu, in te posita est omnia spes mea. Te supplex oro, ut omnia scelera et delicta mea sacratissimo Sanguini tuo immergas, tuisque infinitis meritis compenses quidquid meæ satisfactioni deest: tu enim es propitiatio pro peccatis nostris.

V. *Recide malum.*

Iterumne peccabo? tuaque, o Jesu, sanctissima vulnera, et pretiosum Sanguinem pro me effusum conculcabo? Pudet oculos in cœlum levare, qui vita me indignum agnosco. Quid ergo in posterum? tene rursus offendam? hæccine peccata repetam? istas N. occasiones non fugiam? rem N. tam vilem tibi præferam? Dixi: nunc cœpi; tuam mihi, o Jesu, dexteram porrige. Persequar inimicos, id est, peccata mea. Succurrite, o Cœlites, tuque in primis, o misericordiæ Mater, et tu, Angele mi Custos, vosque nominatim, o Patroni mei NN. adeste, adjuvate, ut omnia in posterum peccata evitem, potissimum istud N. Confirma hoc, Deus, quod modo operatus es in me. *Ps.* 67. 31.

ORATIO

AD SS. TRINITATEM, PRO FELICI MORTE
IMPETRANDA.

Pater æternæ, per infinitam bonitatem tuam, per vitam et mortem dilectissimi Filii tui, te rogo, concede mihi, ut in tua gratia semper vivam, et moriar. Amen.

Benignissime Jesu, per amorem Patris tui, quo te ab æterno complexus est, per ultima verba, quibus in cruce Patri tuum spiritum commendasti, te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitæ meæ.

O sancte Spiritus, accende in me perfectam charitatem, et in illa spiritum meum confirma, dum ex hac vita emigrat.

Sanctissima Trinitas, unus Deus, misere mei; nunc, et in hora mortis meæ. Amen.

COMMENDATIO DEO, B. VIRGINI, ANGELIS
ET SANCTIS.

In benedictas manus tuas, Domine Deus, et in sinum misericordiæ tuæ, o virgo Maria, in vestram quoque protectionem, o sancti Angeli, et Electi Dei NN. corpus et animam nunc et semper committo. Amen.

HYMNUS

ECCLESIAE, PRO TEMPORE VESPERTINO.

Tu lucis ante terminum,
 Rerum Creator, poscimus;
 Ut pro tua clementia
 Sis præsul et custodia.

Procul recedant somnia,
 Et noctium phantasmata,
 Hostemque nostrum comprime,
 Ne polluantur corpora.

Præsta, Pater piissime,
 Patrique compar Unice,
 Cum Spiritu Paraclito

Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

V. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi.

R. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Visita, quæsumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle; Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum.

PETITIO BENEDICTIONIS.

Dignare, Domine Jesu, cum Patre et Spiritu sancto, dare mihi tuam benedictionem, ūberemque gratiam, ut tibi in somno et vigilia, in vita et morte, puro corde et casto corpore perfecte semper placeam. Amen.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

* Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege, et gubernas. Amen.

Tum lectio spiritualis et cætera omnia fiunt ut dicitur pag. 221.

MANUALE PIETATIS.

PARS SECUNDA.

EXERCITIA PIETATIS QUÆ SUIS QUÆQUE
PER HERDOMADEM DIEBUS FIERI SOLENT.



XV.

DIE DOMINICA.

LITANIÆ SS. TRINITATIS.

KYRIE, eleïson.

Christe, eleïson.

Kyrie, eleïson.

Pater, ex quo omnia, miserere nobis.

Fili, per quem omnia,

Spiritus sancte, in quo omnia,

Sancta et individua Trinitas, unus Deus,

Incomprehensibilis Majestas,

Immutabilis potentia,

Infinita sapientia,

Inexhausta bonitas,

Imperialis dignitas,

Legalis divinitas,

Æterna veritas,

Rex omnipotens Deus,

Qui solus es et unus Deus,

Miserere nobis.

In quo vivimus, movemur et sumus,
 Cujus Majestate repleta est omnis terra,
 Cui soli debetur honor et gloria,
 Qui consolaris nos in tribulatione nostra,
 Qui facis mirabilia magna solus,
 Qui es, qui eras, et qui venturus es,
 In judicio justus et terribilis,
 In regno gloriosus et admirabilis,
 Pater ingenite,
 Fili unigenite,
 Spiritus sancte ab utroque procedens,
 O beata Trinitas unus Deus,
 Propitius esto, parce nobis, Domine.
 Propitius esto, exaudi nos, Domine.
 Ab omni malo, libera nos, Domine.
 Ab omni peccato,
 Ab omni infidelitate,
 A mandatorum tuorum transgressione,
 A donorum tuorum contemptu,
 A rerum sacrarum neglectu,
 A morte perpetua,
 Per omnipotentiam tuam,
 Per sapientiam tuam,
 Per infinitam bonitatem tuam,
 Per magnam misericordiam tuam,
 Per patientiam et longanimitatem tuam,
 Peccatores, te rogamus, audi nos.
 Ut te Deum verum, semper et ubique con-
 fiteri nobis dones, te rogamus audi nos.

Miserere nobis.

Libera nos, Domine.

Ut te Deum unum in Trinitate venerari, et Trinitatem in unitate adorare concedas, te rogamus audi nos.

Ut te toto corde diligere nobis largiri digneris, te rogamus, audi nos.

Ut populum sancto tuo nomini sacratum conservare et salvare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut errantibus lumen, ut in viam possint redire justitiæ, concedere digneris, te rogamus, audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.

O beata Trinitas, libera nos.

O beata Trinitas, salva nos.

O beata Trinitas, vivifica nos.

Kyrie, eleison.

Christe, eleison.

Kyrie, eleison.

Pater noster, etc. *secreto.*

V. Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

V. Benedictus es, Domine, in firmamento cœli.

R. Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

V. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.

R. Et metuant eum omnes fines terræ.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ Fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem, quæsumus, ut ejusdem Fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.

Benedicat nos divina Majestas, et una Deitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

HYMNUS

SS. AMBROSII ET AUGUSTINI.

Te Deum laudamus etc. *Vide pag. 214.*

SYMBOLUM S. ATHANASII.

Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem.

Quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes Personas , neque substantiam separantes.

Alia est enim Persona Patris , alia Filii , alia Spiritus sancti.

Sed Patris , et Filii , et Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna Majestas.

Qualis Pater , talis Filius , talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater , immensus Filius , immensus Spiritus sanctus.

Æternus Pater , æternus Filius , æternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni ; sed unus æternus.

Sicut non tres increati , nec tres immensi ; sed unus increatus , et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater , omnipotens Filius , omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes , sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater , Deus Filius , Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dii ; sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater , Dominus Filius , Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini; sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque Personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere Catholica Religione prohibemur.

Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus; sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales.

Ita ut omnia, sicut jam supra dictum est, et Unitas in Trinitate, et Trinitas in Unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo Fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est.

Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus: et homo est ex substantia matris in sæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, et humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundum Divinitatem: minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit et homo: non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate Personæ.

Nam sicut anima rationalis, et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.



OBLATIO SUI SS. TRINITATI.

I. DEO PATRI.

O clementissime Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis! En ego vilissimus terræ vermiculus, qui non sum dignus vocari filius tuus, solus unigeniti Filii tui Redemptoris mei Jesu Christi infinitis meritis confisus, sisto me divinæ Majestati tuæ, Creatori ac Domino meo. Corpus et animam meam, et quidquid in me est (quæ omnia tua dona agnosco) lubens tibi sacrificium sempiternum trado et consecro. Suscipe hanc qualemcumque oblationem in unione et sacrosancti istius Sacrificii, quod dilectus Filius in ara crucis tibi obtulit. Respice in faciem Christi tui: et imagi-

nem tuam ad hujus ideam factam in me agnosce. Hujus dignitas meam excuset vilitatem, hujus sanctitas meam compenset malitiam, faciatque ut perpetua charitate tibi conjunctus vivam ac moriar. Amen.

II. DEO FILIO.

O benignissime Patris omnipotentis Fili, splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis tuæ! Qui cum in forma Dei esses, temetipsum humiliasti, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ut me satanæ mancipium ab æternæ damnationis reatu eriperes. Quid retribuam tibi, Domine Jesu, pro omnibus quæ retribuisti mihi? An non me totum tibi debeo, qui me gehennæ ignibus destinatum, perditumque, Patris tui gratiæ, æternæque saluti restituisti? Suscipe me, Jesu, suscipe pignus tuum, nimis, heu! care redemptum: suscipe quod absque eo tuum est; tuæ enim omnipotentiae opus est, quidquid in me reperitur. Suscipe illud et conserva, ne pereat infinitum sacratissimi Sanguinis tui pretium. Amen.

III. DEO SPIRITUI SANCTO.

O sancte Spiritus, qui a Patre Filioque procedis, ejusdem cum Patre et Filio Dei-

tatis , substantiæ, ac gloriæ ! O. vita. et solatium animæ meæ ! In te per aquam baptismatis me coelo renatum ; per te in fide me tibi. Deo meo desponsatum., a tuæ virtutis ac bonitatis influxu ac præsidio me gubernari ac defendi agnosco. Quid innumeris tuis beneficiis rependam ? Cum nec ego quidquam inter res creatas me ipso charius habeam, nec tu aliud extra me postules , accipe cor meum, sensus meos , et omnia quæ in me sunt. Tu me, o æterni amoris vinculum, tecum et cum Patre Filioque colliga, tuisque flammis accende ac purifica , ut tibi casto corpore serviam , et mundo corde semper placeam.

**GRATiarUM ACTIO AD SANCTISSIMAM
TRINITATEM.**

Agnosco, o sanctissima Trinitas , innumera et immensa beneficia , quæ a primo conceptionis momento in præsentem usque horam a te mihi collata sunt , pro quibus tibi ex omnibus viribus meis gratias ago. Gratias tibi, o Pater, quod me ad imaginem et similitudinem Deitatis tuæ condideris , et identidem conserves, ut te, tuumque Filium , ac Spiritum sanctum cum electis Angelis tuis æternum laudem, ac possideam. Gratias tibi, o Fili, quod naturam

meam amore meo assumpseris, Sanguinem tuum pro me effuderis, mortemque acerbissimam subieris, ut me æternæ morti ereptum Patri tuo reconciliares. Gratias tibi, o S. Spiritus, quod per lavacrum regenerationis te mihi infuderis, me sanctificaveris, æternique regni feceris hæredem. Quibus modis, o sanctissima Trinitas, juxta Majestatis tuæ beneplacitum, tibi gratias referam? Vos, o beati Spiritus, o electi Dei, tuque in primis, quam beatam prædicant omnes generationes, benedicta inter mulieres Virgo et Mater, laudes et gratiarum actiones vestras pro me offerte: non enim omnia membra mea, si in linguas verterentur, sufficerent debitis tibi Deo meo Trino et Uni gratiis referendis.

AMOR ERGA SS. TRINITATEM.

O dulcis amor meus! o omne bonum et desiderium meum! qui fieri potest, ut ulla sit creatura, quæ te non amet! amo te, mi Deus, amo te ex toto corde meo, ex tota anima mea, et ex omnibus viribus meis, adeoque gaudeo de tua gloriâ et Majestate, ut ego perire malim, quam te vel minimam illius boni, quod es, jacturam facere. Si quid in me esset, quo tu careres, id omne tibi lubens volens traderem. Sed tu, Domi-

ne , mi Deus , fons es bonorum omnium , ex quo profluxit , quidquid extra te boni uspiam fuit, est, et erit. Quis te non amet , o dulcis amor, o unicum et omne bonum , solum amore dignum ? O amor , qui semper uris et numquam tepescis, accende me, et accendar : accendar , inquam, ut totus diligam te solum. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.

COMMENDATIO SUI.

Totum me, Domine Deus, in sinum benignissimæ providentiæ et voluntatis tuæ transfundo , lætusque in sanctissimo beneplacito tuo conquiesco. Tu de vita , omnibusque rebus meis dispone, quomodocumque pro majori tua gratia libitum fuerit. Id unum summis a te precibus efflagito , ne umquam permittas me separari a te ; præstaret æternas gehennæ subire pœnas. Excita proinde et conserva in me fidem vivam , spem firmam, et ardentem charitatem , meque duc per viam mandatorum tuorum , donec transeam in locum Tabernaculi admirabilis , usque ad domum Dei. *Ps. 41. 4.*

PETITIO BENEDICTIONIS.

Benedicat mihi indignissimæ creaturæ

suæ, Deus Pater , et Filius , et Spiritus sanctus. Amen.

Omnipotentia Patris conservet me.

Sapientia Filii erudiat me.

Charitas Spiritus sancti accendat me.

Ut te Deum meum , unum in substantia, et trinum in Personis , hic in terris agnoscam , amem et prædicem ; in cœlis æternum intuear et amplectar. Amen.

XVI.

FERIA II , SEU DIE LUNÆ.

LITANÆ SANCTI SPIRITUS.

Kyrie , eleïson.

Christe , eleïson.

Kyrie , eleïson.

Spiritus sancte a Patre Filioque procedens, miserere nobis.

Spiritus Domini, Deus Israël,

Dominator hominum,

Replens orbem terrarum,

Habens omnem virtutem,

Omnia bona operans , et omnio prospiciens ,

Ornans cœlos, stabilis et securus,

Spiritus veritatis omnia suggerens, et distribuens,

Miserere nobis.

Spiritus sapientiæ et intellectus,
Spiritus consilii, fortitudinis, scientiæ,
et pietatis,

Spiritus timoris Domini, et prudentiæ,
Spiritus, quo inspirante locuti sunt Dei
homines,

Quæ ventura sunt annuntians,
Donum et promissio Patris,
Spiritus Sancte Paraclite arguens mun-
dum.

Spiritus, in quo dæmonia ejiciuntur,
Spiritus, ex quo renascimur,
Spiritus, per quem charitas Dei dif-
fusa est in cordibus nostris,
Spiritus adoptionis filiorum Dei,
Spiritus gratiæ et misericordiæ,
Spiritus adjuvans infirmitatem nostram,
et reddens testimonium spiritui nos-
tro, quod simus filii Dei,

Spiritus suavis, benigne, super mel dul-
cis,

Spiritus pignus hæreditatis nostræ, de-
ducens nos in terram rectam,

Spiritus principalis, vivificans et confor-
tans,

Spiritus salutis, iudicii et gaudii,

Spiritus fidei, pacis et ardoris,

Spiritus humilitatis, charitatis et casti-
tatis.

Miserere nobis.

Miserere nobis.

Spiritus benignitatis, bonitatis, longanimitatis ac mansuetudinis,
 Spiritus lenitatis, veritatis, unitatis ac consolationis,
 Spiritus compunctionis, promissionis, renovationis ac sanctificationis,
 Spiritus vitæ, patientiæ, continentiae ac modestiæ,
 Spiritus omnium gratiarum,
 Propitius esto, parce nobis, sancte Spiritus.
 Propitius esto, exaudi nos, sancte Spiritus.
 A spiritu erroris, libera nos, Spiritus Dei vivi.

Libera nos, Spiritus Dei vivi.

A spiritu immundo,
 A spiritu blasphemiae,
 Ab omni obstinatione et desperatione,
 Ab omni præsumptione et veritatis contradictione,
 Ab omni malitia et prava consuetudine,
 Ab invidia fraternæ charitatis,
 A finali impœnitentia,
 Per æternam a Patre et Filio processionem tuam,
 Per invisibilem unctionem tuam,
 Per singulare privilegium quo Virginem Mariam a primo instanti suæ Conceptionis ab omni labe originalis culpæ immunem præservasti,
 Per omnem gratiarum plenitudinem,

Libera nos, Spiritus, Dei vivi.

Te rogamus, audi nos.

qua Virginem Mariam semper possedisti,
 Per supereffluentem sanctitatis abyssum,
 qua in conceptione Verbi Matrem Dei inundare fecisti,
 Per sanctam in baptismo Christi apparitionem tuam,
 Per salutarem super Apostolos adventum tuum,
 Per ineffabilem bonitatem tuam, qua Ecclesiam gubernas, concilia præsidēs, martyres corroboras, doctores illuminas, religiones instituis,
 Peccatores, te rogamus, audi nos.
 Ut in spiritu ambulemus, et desideria carnis non adimpleamus,
 Ut te numquam contristemus,
 Ut omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta religione et vero spiritu conservare digneris,
 Ut cuncto populo christiano cor unum et animam unam donare digneris,
 Ut virtutem omnium complementum nobis donare digneris,
 Ut nos exaudire digneris,
 Spiritus Dei,
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, effunde in nos S. Spiritum.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, emitte in nos promissum Patris Spiritum.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, da nobis Spiritum bonum.

v. Spiritus Domini replevit orbem terrarum.

R. Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.

OREMUS.

Adsit nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritus sancti, quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum.

HYMNUS AD S. SPIRITUM.

Veni, Creator etc. *Eum Hymnum cum oratione vide pag. 2.*

HUMNUS ALTER AD S. SPIRITUM.

* Veni, sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Lucis tuæ radium :

Veni, Pater pauperum,
Veni, dator munerum
Veni, lumen cordium.

Consolator optime,
Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium.

In labore requies,
In æstu temperies,
In fletu solatium.

O Lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.

Sine tuo nomine,
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum :
Riga quod est aridum :
Sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum :
Fove quod est frigidum :
Rege quod est divium.

Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum septenarium.

Da virtutis meritum :
Da salutis exitum :
Da perenne gaudium.
Amen.

v. Spiritus sancti gratia.

R. Illuminet sensus et corda nostra.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum : purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te

perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus : ut sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dominum.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

PLÆ ASPIRATIONES AD S. SPIRITUM PRO
SEPTENIS EJUSDEM DONIS IMPETRANDIS.

I. Veni, sancte Spiritus,
Et emitte cœlitus
Dona tuæ gratiæ.

Veni, o Spiritus *Sapientiæ* ! Instrue cor meum, ut sciam æstimare et amare bona cœlestia, eaque terrenis omnibus antepone-
re. Monstra insuper viam, qua illa consequi, æternumque possidere valeam.

Pater noster.

II. Veni, sancte Spiritus.

Veni, o Spiritus *Intellectus* ! Illumina mentem, ut omnia salutis *Mysteria* percipiam et amplectar, clareque tandem in lumine tuo lumen æternum videre, plenam-

que Tui, Patrisque ac Filii cognitionem
obtinere merear.

Pater noster.

III. Veni, sancte Spiritus.

Veni, o Spiritus *Consilii* ! Assiste mihi
in omnibus instabilis hujus vitæ negotiis,
mentem in bonum inclina, et a malo ab-
sterre, meque per rectum mandatorum
tuorum tramitem ad optatam salutis æter-
næ metam dirige.

Pater noster.

IV. Veni, sancte Spiritus.

Veni, o Spiritus *Fortitudinis* ! Da robur
cordi meo, illudque in omni perturbatione,
et adversis casibus confirma, virtutemque
contra noxios inimicorum meorum cona-
tus largire, ne umquam victus, a te Deo
summo bono meo separer.

Pater noster.

V. Veni, sancte Spiritus.

Veni, o Spiritus *Scientiæ* ! Fac ut caduca
hujus mundi bona eorumque vanitatem
perspiciam, et contemnam, neque aliter iis
utar, quam ad tuam unius gloriam, meam-
que salutem; tua vero æterna præmia om-
nibus rebus terrenis anteponam.

Pater noster.

VI. Veni, sancte Spiritus.

Veni, o Spiritus *Pietatis*! Cor meum ad veram pietatem, et sanctum Domini Dei mei amorem impelle, ut hunc in omni devotione mea semper quæram, et in vera dilectione inveniam.

Pater noster.

VII. Veni, sancte Spiritus.

Veni, o Spiritus *Timoris Domini*! Confige timore tuo carnes meas, ut provideam te Dominum Deum meum in conspectu meo semper, omniaque sollicite caveam, quæ purissimis divinæ Majestatis tuæ oculis displicere possunt.

Pater noster.

v. Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium.

R. Et tui amoris in eis ignem accende.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Mentibus nostris, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum benignus infunde, cujus et sapientia conditi sumus, et providentia gubernamur. Per Dominum.

v. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

R. Amen.

LITANIÆ PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS.

Kyrie , eleïson.

Christe , eleïson.

Kyrie , eleïson.

Christe , audi nos.

Christe , exaudi nos.

Pater de cœlis Deus , miserere omnium fidelium defunctorum.

Fili Redemptor mundi Deus , miserere omnium fidelium defunctorum.

Spiritus sancte Deus , miserere omnium fidelium defunctorum.

Sancta Trinitas unus Deus , miserere omnium fidelium defunctorum.

Sancta Maria , ora pro fidelibus defunctis.

Sancta Dei genitrix , ora

Sancta Virgo virginum , ora

Sancte Michaël , ora

Omnes SS. Angeli et Archangeli , orate

Omnes SS. beatorum Spirituum ordines , orate

S. Joannes Baptista , ora

S. Joseph , ora

Omnes SS. Patriarchæ et Prophetæ , orate

S. Petre , ora

S. Paule , ora

S. Joannes , ora

Pro fidelibus defunctis.

Omnes SS. Apostoli et Evangelistæ, orate

S. Stephane , ora

S. Laurenti , ora

Omnes SS. Martyres , orate

S. Gregori , ora

S. Ambrosi , ora

S. Augustine , ora

S. Hieronymus , ora

Omnes SS. Pontifices et Confessores ,
orate

Omnes SS. Doctores , orate

Omnes SS. Sacerdotes et Levitæ, orate

Omnes SS. Monachi et Eremitæ, orate

S. Maria Magdalena , ora

S. Catharina , ora

S. Barbara , ora

Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, orate

Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercedite
pro eis.

Propitius esto , parce eis , Domine.

Propitius esto , exaudi eos , Domine.

Ab omni malo , libera eos , Domine.

Ab omni pœna, libera eos, Domine.

A crudelibus flammis,

Per admirabilem incarnationem tuam, li-
bera eos, Domine.

Per sanctam nativitatem tuam, libera eos,
Domine.

Per dulcissimum nomen tuum, libera eos,
Domine.

Per baptismum et sanctum jejunium
 tuum ,
 Per profundissimam humilitatem tuam,
 Per promptam obedientiam tuam ,
 Per infinitum amorem tuum,
 Per angores et molestias tuas ,
 Per sanguineum sudorem tuum,
 Per captivitatem tuam,
 Per flagellationem tuam,
 Per coronationem tuam,
 Per bajulationem crucis tuæ,
 Per amaram mortem tuam,
 Per sanctissima vulnera tua,
 Per crucem et acerbissimam passionem
 tuam ,
 Per sanctam resurrectionem tuam ,
 Per admirabilem ascensionem tuam,
 Per adventum Spiritus sancti paracliti,
 In die judicii,
 Peccatores , te rogamus , audi nos.
 Qui Mariam absolvisti , et latronem ex-
 audisti ,
 Qui salvandos salvas gratis ,
 Qui claves habes mortis et inferni,
 Ut parentes, propinquos et benefactores
 nostros a pœnis purgatorii eripere
 digneris ,
 Ut omnes fideles defunctos liberare di-
 gneris,

Libera eos, Domine.

Te rogamus, audi nos.

Ut illorum , quorum specialis in terra
memoria non habetur , misereri digne-
ris ,

Ut eis omnibus parcere et indulgere
digneris ,

Ut desideria ipsorum adimplere digne-
ris ,

Ut in electorum consortium eos recipere
digneris ,

Rex tremendæ majestatis ,

Fili Dei ,

Agnus Dei , qui tollis peccata mundi , dona
eis requiem.

Agnus Dei , qui tollis peccata mundi , dona
eis requiem.

Agnus Dei , qui tollis peccata mundi , dona
eis requiem sempiternam.

Christe , audi nos.

Christe , exaudi nos.

v. A porta inferi.

R. Erue , Domine , animas eorum.

v. Domine , exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Animabus, quæsumus, Domine, famulo-
rum famularumque tuarum misericordiam
concede perpetuam : ut eis proficiat in æter-
num, quod in te speraverunt et credide-


runt. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus.

v. Requiem æternam dona eis , Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

v. Requiescant in pace.

R. Amen.



SUPPLICATIONES SEPTENÆ

PRO DEFUNCTIS, PER ACERBISSIMAM PASSIONEM
ET MORTEM CHRISTI.

I. O Jesu, vita et resurrectio nostra , qui discedens ex hoc mundo, tuam nobis carnem et sanguinem in cibum et potum reliquisti ! Per infinitum hunc amorem tuum supplex oro , miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum N.N. Deduc eos ad vitæ fontes , et fac, ut mox tecum edant et bibant super mensam tuam in regno tuo. *Luc. 22.*

Pater noster.

II. O Jesu , protectio et salus nostra, qui tantos nostri causa angores in horto sustinuisti, ut sudor tuus factus sit sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram ! Per pre-

fiosissimum hunc sanguinem tuum supplex oro : miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum N. N. Libera eos ex omnibus angustiis suis, et absterge omnem lacrymam ab oculis eorum. *Apoc.* 7.

Pater noster.

III. O Jesu, Redemptor et Salvator noster, qui captus es in peccatis nostris ! Per durissima illa vincula tua supplex oro : miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum N. N. Solve omnia eorum vincula delictorum, quibus eos humana fragilitas in hac vita implicavit, ut læti sacrificent tibi hostiam laudis. *Ps.* 113, 7.

Pater noster.

IV. O Jesu, cordis nostri lætitia, qui benedictam faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere, velari, conspui et colaphis cædi permisisti. Per incomprehensibilem hanc patientiam tuam te supplex oro : miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum N. N. Admitte illos ad claritatem lucis tuæ, eosque adimple lætitia cum vultu tuo. *Ps.* 15, 11.

Pater noster.

V. O Jesu, corona gloriæ nostræ, qui flagellis cæsus et spinis dire ignominioseque propter superbiam nostram coronatus es !

Per summam istam humilitatem tuam te supplex oro : miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum N. N. Concede propitius , ut coronam æternæ gloriæ mox consequantur ; tu enim nos coronas in misericordia et miserationibus *Ps. 102.*

Pater noster.

VI. O Jesu, advocate et judex noster , qui iniquissimo judicio ad mortem acerbissimam damnatus , nos ab æternæ damnationis reatu absolvisti ! Per abyssum misericordiæ tuæ te supplex oro : miserere omnium fidelium defunctorum , præsertim horum N. N. Audiant mox verbum illud consolationis : Dimissa est iniquitas vestra. *Isai. 40. 2.*

Pater noster.

VII. O Jesu, summum et unicum bonum nostrum, qui ipse peccata nostra in corpore tuo super lignum pertulisti ! Per immensum hoc beneficium tuum te supplex oro : miserere omnium fidelium defunctorum , præsertim horum N. N. Aditus illis ad æternam gloriam mox reseretur, lætique audiant : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. *Matth. 25. 34.*

Pater noster.

INVOCATIO SANCTORUM PRO DEFUNCTIS.

O vos sancti Angeli, omnesque electi Dei, subvenite animabus fidelium defunctorum. Succurre præ cæteris, tuumque benedictum Filium illis ostende, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria! Amen.

SEQUENTIA EX MISSA DEFUNCTORUM.

Dies iræ, dies illa, etc. *Vide pag. 76.*

XVII.

FERIA III, SEU DIE MARTIS.

LITANIÆ SANCTISSIMI NOMINIS JESU.

* Kyrie, eleison, etc. *Vide pag. 9.*

TRIGINTA TRES PIÆ ASPIRATIONES AD JESUM,
JUXTA NUMERUM ANNORUM EJUSDEM.

JESUS VERUS DEUS.

O Jesu, Deus verus de Deo vero! Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias. *Ps. 30. 3.*

O Jesu, Imago Patris! Renova spiritum mentis meæ, et sicut portavi imaginem hominis terreni, portem et cœlestis. *1. Cor. 15.*

O Jesu, Sapientia æternâ! Omnem a me vanam scientiam aufer; nihil enim

scire cupio , nisi te Jesum meum crucifixum. 1. *Cor.* 2. 2.

JESUS VERUS HOMO.

O Jesu , Verbum incarnatum, habitans in nobis ! Fac me divinæ tuæ consortem naturæ. 2. *Pet.* 1. 4.

O Jesu , Fili hominis, qui cum esses in forma Dei, formam servi accepisti ! Superbia numquam in sensu meo dominetur. *Tob.* 4. 14.

O Jesu , Primogenite in multis fratribus ! Fac mihi , sicut promisisti, locum in regno Patris tui : et ubi tu es , et ego sim. *Joan.* 14. 3.

JESUS REDEMPTOR.

O Jesu , Redemptor meus ! Tuus sum ego : accipe me ; nam tuo Sanguine, pretio sane magno , emisti me. 1. *Cor.* 6. 20.

O Jesu, Salvator meus ! Salva me : nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus , in quo oporteat nos salvos fieri. *Act.* 4. 12.

O Jesu , Auctor vitæ meæ ! Tibi vivit anima mea ; mihi enim vivere tu Christus es , et mori lucrum. *Phil.* 1. 21.

JESUS DOMINUS.

O Jesu, Dominus meus , et Deus meus !

Posside me ; quia ego servus tuus, ego servus tuus , et filius ancillæ tuæ. *Ps.* 115. 6.

O Jesu, Rex meus ! Impera mihi : agnosco jugum tuum vere suave esse , et onus tuum leve. *Matth.* 11. 30.

O Jesu, Defensor meus ! Sub umbra tua protege me : pone me juxta te , et cujusvis manus pugnet contra me. *Job.* 17. 3.

JESUS SPONSUS.

O Jesu , Sponsus sanguinum tu mihi es ! Sponsa te mihi in misericordia et in miserationibus, in sempiternum. *Osee* 2. 19.

O Jesu , Amor meus , speciosus præ filiis hominum ! Quid mihi est in cœlo , et a te quid volui super terram ? *Ps.* 72. 24.

O Jesu , solatium et gaudium meum ! Introduc me in cellaria tua ; exultabo et lætabor in te. *Cant.* 1. 3.

JESUS PASTOR.

O Jesu , Pastor bone ! qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis ; propter nomen tuum deduces me, et enutries me. *Ps.* 30. 4.

O Jesu , Panis vive , qui de cœlo descendisti ! tu solus es , qui reple in bonis desiderium meum. *Ps.* 102. 5.

O Jesu , Fons vitæ ! Sitivit anima mea ad te ; fac ut hauriam aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Is.* 12. 3.

JESUS MAGISTER.

O Jesu , Magister a Deo nobis misse ! Bonitatem et disciplinam ; et scientiam doce me , quia mandatis tuis credidi. *Ps. 118.66.*

O Jesu , Doctor et Præceptor meus ! Deduc me in semitam mandatorum tuorum , quia ipsam volui. *Ps. 118. 33.*

O Jesu , Lux mundi ! Emitte lucem tuam , et veritatem tuam ; ipsa me deducant in montem sanctum tuum , et in tabernacula tua. *Ps. 42. 3.*

JESUS ADVOCATUS.

O Jesu , Advocate noster apud Patrem ! Sis propitiatio non tantum pro peccatis meis ; sed etiam pro totius mundi. 1. *Joan. 2. 2.*

O Jesu , Mediator meus ! Patri tuo me reconcilia ; unus enim mediator Dei et hominum tu es , Christe Jesu. 1. *Tim. 2. 5.*

O Jesu , Refugium meum ! Intra vulnera tua absconde me ; hic in pace in id ipsum dormiam et requiescam. *Ps. 4. 9.*

JESUS MEDICUS.

O Jesu , Medice corporis et animæ meæ , qui dolores nostros ipse portasti : livore tuo sanati sumus. *Is. 53. 4. 5.*

O Jesu , vere Samaritane ! Infunde vinum et oleum in vulnera mea , et sana animam meam , quia peccavi tibi. *Ps. 40. 4.*

O Jesu , Agne innocens pro me ad occisionem ducte ! Munda cor meum ; tu enim tollis peccata mundi. *Joan.* 1. 29.

JESUS JUDEX.

O Jesu , Judex, qui venturus es judicare vivos et mortuos ! Non intres in judicium cum servo tuo. *Ps.* 142. 2.

O Jesu , Justitia mea ! Responde pro me ; quia ego non potero respondere unum pro mille. *Job.* 9. 3.

O Jesu , Auctor spei meæ ! Statue me a dextris inter oves tuas ; et ab auditione mala non timebo. *Ps.* 141. 6.

JESUS GLORIFICATOR.

O Jesu , Pars hæreditatis meæ , et portio mea in terra viventium ! Hæreditatem meam restitue mihi. *Ps.* 15. 5.

O Jesu , Merces mea magna nimis ! Admitte me in bona Domini , quæ præparasti diligentibus te. 1. *Cor.* 2. 9.

O Jesu , Vita , salus et resurrectio mea ! Cupio dissolvi , et esse tecum ; mihi enim adhærere tibi bonum est. *Ps.* 72. 27.

ORATIO.

O bone Jesu ! o piissime Jesu ! o dulcissime Jesu ! o Jesu Fili Mariæ Virginis, plene misericordia et pietate ! O dulcis Jesu ! se-

cundum magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime Jesu ! te deprecor per illum Sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, et in me respicias miserum et indignum, humiliter veniam petentem, et hoc nomen sanctum Jesu invocantem. O nomen Jesu, nomen dulce ! Nomen Jesu, nomen delectabile ! nomen Jesu, nomen confortans ! Quid est enim Jesus, nisi salvator ? Ergo, Jesu, propter nomen sanctum tuum, esto mihi Jesus, et salva me : ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creasti. O bone Jesu ! ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Jesu ! recognosce quod tuum est, et absterge quod alienum est. O benignissime Jesu ! miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in æternam corruptionem ? Non mortui laudabunt te, Domine Jesu, neque omnes qui descendunt in infernum. O amantissime Jesu ! o desideratissime Jesu ! o mitissime Jesu ! o Jesu, Jesu, Jesu ! admitte me intra numerum Electorum tuorum. O Jesu, salus in te credentium ! o Jesu, solatium ad te confugentium ! o Jesu, dulcis remissio pec-

catorum ! O Jesu , Fili Mariæ Virginis ! infunde in me gratiam , sapientiam , charitatem , castitatem et humilitatem : ut possim te perfecte diligere , te laudare , te perfrui , tibi servire , et in te gloriari ; et omnes qui invocant nomen tuum , quod est Jesus. Amen.

SEPTEM DIVINI AMORIS JACULA.

1. Quando te, mi Jesu, brachiis animæ meæ constringam ; ne, oro, peccatis excludar : vere eorum me nunc amore tui pœnitet.

2. Utinam te solum, mi Jesu, possideam, et in aliis omnibus sim pauper ! præ te vilescunt mihi omnia mundi bona, tu solus places.

3. Felix , qui omni rerum terrenarum cura solutus , tibi soli , mi Jesu , vacat , et videt , quam suavis sit in omnibus spiritus tuus !

4. Amo te, suavissime Jesu, super cœlum et terram et omnia, quæ in iis continentur, in te solo cor meum conquiescit.

5. O charissime sponse, en ego sto ad ostium tuum, et pulso, admitte me : omnibus hujus mundi voluptatibus lubens renuntio.

6. O Jesu, permitte me quiescere super sacratissimum pectus tuum , ut inde cor meum accendatur semperque ardeat.

7. O vita mea , per quam vivo , sine qua merior : concede ut tibi conjungar, et in amplexu tuo moriar.

QUINQUE AMANTIS ANIMÆ SUSPIRIA , AD
QUINQUE LITTERAS NOMINIS JESU.

Jesu, mi Deus et omnia ! cur umquam offendi te, qui usque in finem dilexisti me ? An non et ego amem te ? Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum , sit anathema. 1. Cor. 16. 22.

Emitte , mi Jesu , lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deducant et adducant in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. Ibi secure exultabo in te Deo Jesu meo. Ps. 42. 3.

Salve, o Imago æterni Patris ! o speciose forma præ filiis hominum, in quem desiderant Angeli prospicere ! O cordis mei desiderium ! Ostende mihi faciem tuam , et salvus ero. Ps. 79. 20.

Utinam, o Bonitas infinita , amoris victima pro me facta, totus vicissim tibi in amoris victimam consecrer ; faciasque (quod unice exopto) ut vere dicam : Mihi mundus crucifixus est , et ego mundo. Gal. 6, 14.

Suavissime Jesu , aufer spiritum meum, et tuum in me transfunde : tuo enim spiritu

animatus exclamabo : Vivo ego , jam non ego , vivit vero in me Christus. *Gal. 2. 20.*

ORATIO AD S. JOACHIM.

O sancte Joachim, cui recte id nomen est inditum, quod præparationem Domini significat. Tu enim ad vivum Dei templum præparandum a Deo electus es, in quo Filio ejus Unigenito habitare placuit. O beatissime Pater, a quo processit illa filia, quæ in Dei Matrem, ac cœli terræque Reginam est assumpta. O quanto illam amore et reverentia excepisti ! qua cura et sollicitudine enutrivisti ! quam præclaro humilitatis, religionis ac pietatis exemplo, proli tuæ clarissimæ, cunctisque mortalibus præluxisti ! Tuis me precibus, o S. Joachim, adjuva, ut et ego gratum Deo domicilium in corde meo præparem, constantique pietatis affectu illud exornem. Amen.

ORATIO AD S. MATREM ANNAM.

O gratiosa Domina, o benedicta Mater Anna ! bene Annæ, hoc est gratiæ, tibi nomen obtigit ; quia tibi cœlum vivum, omnibus cœlis majus, in benedicto utero tuo portare, et in hanc lucem edere a Deo concessum est ; quem enim cœli cœlorum capere non poterant, Filia tua immaculato

gremio suo conclusit. Tu es , o electa Mater , radix illa virgæ Jesse , ex qua flos pulcherrimus, fructusque vitæ nostræ dulcissimus Christus ascendit. Lætare, o Anna sterilis ; quoniam ex Filia tua Filius natus est nobis , cujus nomen vocatum est magni consilii , hoc est , salutis totius mundi, Angelus. Fac me , o Mater benedicta , gratiæ quam ex gratiarum fonte abunde hausisti , participem ; ut in amore dilectissimi Nepotis tui Jesu, et protectione dulcissimæ Filiae tuæ Mariæ vivam et moriar. Amen.

ORATIO AD AMBOS SS. JOACHIM ET ANNAM.

O castum ac beatum par turturum , Joachim et Anna, vobis omnis creatura obstricta est ; per vos enim donum omnium donorum præstantissimum Creatori obtulit, nempe castam matrem , quæ sola Creatore digna erat. Vestra dignitas ex immaculato ventris vestri fructu cognoscitur, quem Dei perpetuo obsequio prompte consecrastis, cor meum , obsecro , junctam huic sacrificio hostiam manibus vestris Dei omnipotenti offerte, omnesque hujus mei muneris defectus vestra , quam apud Deum invenistis, gratia compensate.

XVIII.

FERIA IV, SEU DIE MERCURII.

LITANIÆ DE SS. ANGELIS.

Kyrie, eleïson.

Christe, eleïson.

Kyrie, eleïson.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere
nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix,

Sancta Virgo virginum,

Sancte Michaël, qui populo Dei semper
defensor fuisti,

Sancte Michaël, qui Luciferum cum
complicibus rebellibus de cœlo detur-
basti,

Sancte Michaël, qui accusatorem fra-
trum nostrorum in profundum infer-
ni dejecisti,

Sancte Gabriël, qui Daniëli divinam
visionem patefecisti,

Ora pro nobis.

Sancte Gabriël, qui Joannis Baptistæ
ortum et ministerium prænuntiasti,
ora pro nobis.

Sancte Gabriël, qui Incarnationis Verbi
divini nuntius extitisti,

Sancte Raphaël, qui Tobiam salvum du-
xisti et reduxisti,

Sancte Raphaël, qui dæmonium a Sara
depullsti,

Sancte Raphaël, qui Tobiam seniore
illuminasti,

Sancti Angeli, orate pro nobis.

Qui super Dei solium excelsum et eleva-
tum statis,

Qui jugiter Deo Sanctus, Sanctus, Sanc-
tus concinitis,

Qui discussis tenebris mentem nostram
illuminatis,

Qui divina hominibus nuntiatis,

Qui hominum custodiam a Deo acce-
pistis,

Qui semper faciem Patris, qui in cœlis
est, videtis,

Qui super uno peccatore poenitentiam
agente gaudetis,

Qui Sodomitas cæcitate percussistis,

Qui Loth de medio peccatorum eduxistis,

Qui per scalam Jacob ascendistis et des-
cendistis,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Qui in monte Sinai divinam legem Moysi
tradidistis, orate pro nobis,
Qui, Christo nato, gaudium hominibus
annuntiastis,
Qui Christo in deserto ministrastis,
Qui Lazarum in sinum Abrahæ deporta-
stis,
Qui juxta Christi sepulchrum in albis
sedistis,
Qui, Christo in cœlum ascendente, ejus
discipulis apparuistis,
Qui Christum ad judicium venturum
cum signo crucis præcedetis,
Qui electos in fine sæculi congregaturi
estis,
Qui malos de medio justorum separabi-
tis,
Qui orantium preces ad Deum defertis,
Qui morientibus assistitis,
Qui animas justorum ab omni labe pur-
gatas ad cœlum deducitis,
Qui prodigia et miracula virtute Dei
perpetratis,
Qui hæreditatem salutis capientibus in
ministerium mittimini,
Qui Babylonem curatis, et nolentem cu-
rari migrando deseritis,
Qui super regna et provincias constituti
estis,

Orate pro nobis.

Qui hostium exercitus sæpe dissipastis,
orate pro nobis.

Qui Dei famulos ex carceribus, et allis
vitæ periculis sæpe liberastis,

Qui sanctis Martyribus in tormentis sæpe
solatio fuistis,

Qui Ecclesiæ prælatos et principes, ejus-
demque nutritios peculiari cura fovere
soletis,

Omnes sancti beatorum Spirituum ordi-
nes,

A cunctis periculis, per sanctos Angelos
tuos, libera nos, Domine.

Ab insidiis diaboli, libera nos, Domine.

Ab omni hæresi et schismate, libera nos,
Domine.

A peste, fame et bello, libera nos, Domine.

A subitanea et improvisa morte, libera
nos, Domine.

A morte perpetua, libera nos, Domine.

Peccatores, te rogamus, audi nos.

Per sanctos Angelos tuos, te rog. audi nos.

Ut nobis parcas, te rogamus audi nos.

Ut nobis indulgeas, te rogamus audi nos.

Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et con-
servare digneris, te rogamus audi nos.

Ut domnum apostolicum, et omnes Eccle-
siasticos Ordines protegere digneris, te
rogamus, audi nos.

Ut regibus et principibus Christianis pacem et unitatem largiri digneris, te rogamus, audi nos.

Ut fructus terræ dare et conservare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Kyrie, eleïson.

Christe, eleïson.

Kyrie, eleïson.

Pater noster, etc. secreto.

v. Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus.

R. Potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

v. Benedicite Domino, omnes Virtutes ejus.

R. Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

v. Angelis suis mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

V. Immittet Angelus Domini in circuitu
timentium eum.

R. Et eripiet eos.

V. In conspectu Angelorum psallam tibi,
Deus meus.

R. Adorabo ad templum sanctum tuum,
et confitebor nomini tuo, Domine.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui miro ordine, Angelorum mini-
steria hominumque dispensas : concede
propitius, ut a quibus tibi ministrantibus
in cœlo semper assistitur, ab his in terra
vita nostra muniatur. Per Dominum nos-
trum Jesum Christum Filium tuum, qui
tecum vivit et regnat.

ORATIONES AD SS. ANGELOS.

ORATIO AD S. ARCHANGELUM MICHAELEM.

O cœlestis militiæ Princeps, S. Michaël,
qui superbum Luciferum cum omnibus
suis asseclis in gehennæ barathrum detur-
basti ! O Ecclesiæ defensor ac protector ! o
animarum ex hac vita migrantium Præses !
succurre animæ meæ in agone constitutæ,
quam tibi nunc enixe commendo. Tu eam
contra omnes hostiles incursus protege ; tu

hinc proficiscentis patrocinium suscipe, et contra omnes dæmonum insidias defensam, ad paradisi gaudia admitte, ubi cum omnibus Angelis Deum æternis laudibus exaltem. Amen.

ORATIO AD S. GABRIELEM.

O fortitudo Dei, S. Gabriël, qui Virgini Mariæ unigeniti Dei Filii Incarnationem annuntiasti, et in horto Christum, in summa tristitia ac mœrore consolatus es, et confortasti; te laudo, te veneror, o electe Spiritus, et supplex oro, ut meus apud Jesum Christum Salvatorem meum, et benedictam ejusdem Matrem Virginem Mariam advocatus esse, atque in omnibus me angustiis solari semper et corroborare velis, ne ullis umquam temptationibus superatus, Deum summum bonum meum offendam. Amen.

ORATIO AD S. RAPHAELEM.

O cœlestis Medice, et comes fidelissime, S. Raphaël, qui Tobiae seniori visum restituisti, juniorem per omnes suscepti itineris vias deduxisti, et incolumem conservasti: esto corporis et animæ meæ Medicus: pelle ignorantiae tenebras, mihi-que periculosa hujus vitæ peregrinatione constanter assiste, donec ad cœlestem pa-

triam me perducas ubi tecum beatus divinam faciem æternum contempler. Amen.

AD S. ANGELUM TUTELAREM.

O fidelissime Comes , a Deo tutelæ meæ assignate , protector et defensor meus , numquam recedens a latere meo , quas tibi gratias referam pro fide , amore , innumerisque in me collatis beneficiis ? Tu dormienti advigilas : moestum solaris : dejectum erigis : imminencia pericula avertis : futura doces cavere : a peccatis abtrahis : ad bonum impellis : lapsum ad poenitentiam hortaris , Deoque concilias. Jam dudum fortassis in infernum detrusus fuissèm , nisi tuis precibus divinam a me iram avertisses. Ne , precor , me umquam deseras ; in adversis solare : in prosperis contine : in periculis tuere : in tentationibus adjuva , ne iis umquam succumbam. Preces et gemitus meos , omniaque pia opera divino conspectui offer , atque effice , ut in gratia ex hac perveniam ad vitam æternam. Amen.

**PROTESTATIONES S. CAROLI BORROMÆI,
CORAM ANGELO CUSTODE, PRO FELICI MORTE
IMPETRANDA.**

I. In nomine sanctissimæ Trinitatis , Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ego infelix et miser peccator protestor coram te , o dilecte Angele, mihi a divina Majestate pro Custode assignate, velle me mori in ea sola Fide , quam sancta Romana et Apostolica tenet et profitetur Ecclesia., in qua omnes Novæ Legis Sancti mortui sunt, et extra quam non est salus.

II. Protestor etiam , o Angele Dei , velle me sub tua sancta custodia et protectione discedere ex hac vita, cum firma spe divinæ misericordiæ consequendæ , non obstante quacumque multitudine et gravitate peccatorum meorum , secure credens vel unicam guttulam pretiosissimi Sanguinis Jesu Christi abunde sufficere ad eluenda non solum mea, sed etiam totius mundi peccata.

III. Similiter, protestor, o Angele sancte, petere me ex intimo corde participem fieri meritorum Jesu Christi , ejusque bonitatis et clementiæ, quam nulli peccatori, quantumvis gravi et abominabili , veram poenitentiam agenti , negat : utinam ego Deum

meum, quem super omnia amo, magisque amare desidero, numquam offendissem! Doleo ex toto corde, et lubens condono, quidquid ab aliis in me peccatum est, omnemque culpam meam in benignissimum Jesu Redemptoris mei cor delendam transfundo.

IV. Porro protestor, mi Custos, supplicare me divinæ bonitati, ut me recipere dignetur in numerum eorum, quos ab æterno prædestinavit, et hæredes suæ gloriæ constituit. Ex desiderio, quo in cælum raptor, non tantum ad sustinenda omnia mala, quibus hæc misera vita obnoxia est, verum etiam ad purgatorii poenas usque ad novissimum judicii diem subeundas me offero, dummodo tandem per infinitam Dei misericordiam consequar æternam beatitudinem.

V. Denique protestor, o fidelissime Custos, quod te executorem ultimæ voluntatis meæ constituam. Tres mihi velim gratias a Deo impetres: prima est, ut ex hac vita non discedam, nisi omnibus Ecclesiæ Sacramentis rite munitus. Secunda est, ut ex plurimis lacrymosis suspiriis, quæ Christus Jesus per tres horas in Cruce pendens emisit, vel unum impetrare possim, ejus virtute et efficacia lacrymabiles cordis mei gemi-

tus ac singultus , quibus in hora mortis affligar , mitigem , utque dulcissima Jesu Mater me dignetur vel unico ex illis aspectibus, quos ipsa sub cruce in faciem dilectissimi Filii sui , cum morte luctantis , direxit , suscipiendo me in illorum numerum qui materno ipsius patrocinio salutem æternam in die judicii obtinebunt. Tertia demum gratia est, ut tu, fidelissime Custos meus , in illa potissimum hora mihi succurras, quando anima mea a corpore separabitur, faciasque mihi benignum Judicem, cujus paternum pectus flagrantissimæ charitatis incendio in cruce pro salute peccatorum inflammatum fuit. Habe , o piissime Custos , tibi unice commendatam animam meam , eamque de ergastulo corporis egressam in manus Creatoris ac Redemptoris sui trade ; ut eum una tecum, et cum Sanctis omnibus in cœli gaudiis clare videat , perfecte amet eodemque plene in omnem æternitatem fruatur. Amen.

ORATIO ECCLESIAE

AD SANCTOS ANGELOS CUSTODES.

Deus , qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris : largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi , et

æterna societate gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

**LITANIÆ IN HONOREM S. ALOYSII,
AD OBTINENDAS OMNES VIRTUTES CHRISTIANO
JUVENE DIGNAS, PRÆSERTIM DONUM
CASTITATIS.**

Kyrie, eleïson.

Christe, eleïson.

Kyrie, eleïson.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria, Aloysii patrona, ora pro nobis.

Sancte Aloysi Gonzaga, Dei benedictionibus dotata, ora pro nobis.

Sancte Aloysi, Spiritu sancto replete, ora pro nobis.

Sancte Aloysi, Christi confessor dignissime, ora pro nobis.

Eucharistiæ adorator devotissime,
 Beatæ Virginis cliens addictissime,
 Deliciarum mundi generose con-
 temptor,

Exemplar humilitatis,

Paupertatis amator,

In obedientia consummate,

Patientia admirabilis,

In coelis potentissime,

Fugator dæmonum,

Honor et gloria juventutis,

Omnium litteris incumbentium ex-
 emplum et patrone,

Vitæ evangelicæ imitator,

Speculum virginum,

Consolatur afflictorum dulcissime,

Infirmorum salus certissima,

Societatis Jesu decus et ornamen-
 tum,

Præclarum Ecclesiæ lumen,

Plurimis insignite miraculis,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce
 nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi
 nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, mise-
 rere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

V. Ora pro nobis, sancte Aloysi Gonzaga;

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Coelestium donorum distributor Deus,
qui in angelico juvene Aloysio miram vitae
innocentiam partem poenitentiae subiasli:
ejus meritis et precibus concede, ut inno-
centem non secuti, poenitentem imitemur.
Per Christum Dominum nostrum:

Amen.

XIX.

FERIA V, SEU DIE JOVIS.

LITANIAE DE VENERABILI SACRAMENTO.

Kyrie, eleison.

Christe, eleison.

Kyrie, eleison.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Pater de caelis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Panis vivus, qui de caelo descendisti, mi-
serere nobis.

Deus absconditus et Salvator, miserere nobis.

Frumentum electorum,

Vinum germinans virgines,

Panis pinguis et deliciae regum,

Juge sacrificium,

Oblatio munda,

Agnus absque macula,

Mensa purissima,

Angelorum esca,

Manna absconditum,

Memoria mirabilium Dei,

Panis supersubstantialis,

Verbum Caro factum,

Habitans in nobis,

Höstia sancta,

Calix benedictionis,

Mysterium fidei,

Præcelsum et venerabile Sacramentum,

Sacrificium omnium sanctissimum,

Vere propitiatorium pro vivis et defunctis,

Cœleste antidotum, quo a peccatis præservamur,

Stupendum supra omnia miraculum,

Sacratissima dominicæ passionis commemoratio,

Donum transcendens omnem plenitudinem,

Miserere nobis.

**Memoriale præcipuum divini amoris, misere-
rere nobis.**

**Divinæ affluentia largitatis,
Sacrosanctum et augustissimum Mysterium,**

**Pharmacum immortalitatis,
Tremendum ac vivificum Sacramentum,
Panis omnipotentia Verbi caro factus,
Incruentum Sacrificium,**

**Cibus et conviva,
Dulcissimum convivium, cui assistunt
Angeli ministrantes,**

**Sacramentum pietatis,
Vinculum charitatis,
Offerens et oblatio,
Spiritualis dulcedo in proprio fonte degustata,**

**Refectio animarum sanctarum,
Viaticum in Domino morientium,**

**Pignus futuræ gloriæ,
Propitius esto, parce nobis, Domine.**

Propitius esto, exaudi nos, Domine.

**Ab indigna Corporis et Sanguinis tui sus-
ceptione, libera nos, Domine.**

A concupiscentia carnis, lib. nos, Domine.

**A concupiscentia oculorum, libera nos,
Domine.**

A superbia vitæ, libera nos, Domine.

**Ab omni peccandi occasione, libera nos,
Domine.**

Miserere nobis.

Liberâ nos, Domine.

Te rogamus, audi nos.

Per desiderium illud, quo hoc Pascha
cum discipulis manducare deside-
rasti,

Per summam humilitatem, qua discipu-
lorum pedes lavisti,

Per ardentissimam charitatem, qua hoc
divinum Sacramentum instituisti,

Per Sanguinem tuum pretiosum, quem
nobis in altari reliquisti,

Per quinque vulnera hujus tui Corporis
sacratissimi, quæ pro nobis susce-
pisti,

Peccatores, te rogamus, audi nos.

Ut nobis fidem, reverentiam et devotio-
nem hujus admirabilis Sacramenti
augere et conservare digneris,

Ut ad frequentem usum Eucharistiæ, per
veram peccatorum confessionem, nos
perducere digneris,

Ut nos ab omni hæresi, perfidia ac cor-
dis cæcitate liberare digneris,

Ut sanctissimi hujus Sacramenti pretio-
sos et cœlestes fructus nobis impertiri
digneris,

Ut in hora mortis nostræ hoc cœlesti via-
tico nos confortare et munire digneris,

Fili Dei,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce
nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, misere-
rere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui nobis etc. *Vide. Pag. 191.*

BREVIS ET PIA ORATIO S. IGNATII.

Anima Christi, sanctifica me.

Corpus Christi, salva me.

Sanguis Christi, inebria me.

Aqua lateris Christi, lava me.

Passio Christi, conforta me.

O bone Iesu, exaudi me.

Intra vulnera tua absconde me.

Ne permittas me separari a te.

Ab hoste maligno defende me.

In hora mortis meæ voca me.

Et jube me venire ad te.

Ut cum Sanctis tuis laudem te

In sæcula sæculorum.

Amen.

PIA PARAPHRASIS EJUSDEM ORATIONIS.

Anima Christi, omnibus sancti Spiritus

donis et charismatibus exornata, *Sanctifica me*, per fidem vivam, per spem firmam, per charitatem perfectam, quam nec tribulatio, nec angustia, nec mors ipsa dissolvat. O *Anima*, quæ per naturalem informationem Christi es, sis etiam per gratiosam assistentiam et operationem mea, piisque cogitationibus et affectibus *Sanctifica me*. Esto animæ meæ anima et vita; quia sine te omnis vita mors est.

Corpus Christi, quod non solum in mortem acerbissimam, verum etiam in saluberrimum animæ nostræ cibum, et immortalitatis pharmacum, juxtaque sacrificium traditum est, *Salva me*. O divinum caput, in quo omnes sunt thesauri sapientiæ et scientiæ Dei, rege me. O benignissimi oculi, toties pro me lacrymis perfusi, respicite me. O Salvatoris lingua, quæ verba vitæ æterna habes, doce me. O potentissimæ manus, quarum attactu morbi pulsî, cæci curati, mortui resuscitati, tollite omnes languores et morbos tum corporis tum animæ meæ, cæcitatem pellite, vitamque gratiæ restituite. Quis mihi det, o speciosi pedes, o paterna genua, toti mundo salutem afferentia, ut cum Magdalena vos amplectar et deosculer, veniamque peccatorum meorum apud vos inve-

niam ? O amabilissimum pectus, o divinitatis sacrarium, o amoris altare, junge te cordi meo, illudque amore inflamma. Sic mihi vivere Christus erit, et mori lucrum.

Sanguis Christi, totus amore mei effusus, *Inebria me*, ut amorem amore compensare, mortemque pro morte subire, et usque ad sanguinem peccatis generose semper resistere adnitar.

Aqua Lateris Christi, ex aperto latere profluens, *Lava me*. Amplius, amplius lava me, et a peccato meo munda me : ut per apertum Christi pectus ad cor ejusdem amplexandum admitti merear.

Passio Christi, o fortissima Passio, quæ omnia peccata nostra pertulit, *Conforta me*, et contra omnes adversitates confirma me, viresque tribue, ut contumelias et injurias pro Domino meo Jesu Christo forti et alacri animo sustineam.

O bone Jesu, omnis bonitatis fons et origo, *Exaudi me*, quamvis magnum peccatorem : tua enim benignitas et gratia etiam peccatores exaudit.

Dilata benignitatis tuæ viscera, et *Intra tua vulnera*, quæ asylum miserorum constituisti, *Absconde me*, ne præda hostium fiam, aut in manus offensi Domini mei incidam. Hic securus latebo ; hic misericor-

dias tuas, o bone Jesu, in æternum cantabo.

Ne permittas scelerum meorum multitudine et gravitate offensus , *Me separari a te*. Id oro per sacratissima vulnera, per pretiosissimum Sanguinem , per acerbissimam passionem et mortem tuam. Nam a te separatus mox audire cogere : Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est, qui eripiat. Proinde iterum iterumque supplex oro, mi Jesu, ne in æternum permittas me separari a te.

Ab hoste maligno , qui tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret , *Defende et protege me* : ne quando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum.

In hora mortis meæ , quando ab omnibus creaturis deserar , quando trepidus ex instabili hoc mundo ibo in donum æternitatis meæ, *Voca me*, perditam ovem tuam, quæ toties vocem tuam audire renuit : voca, inquam, me, licet indignum nomine ovis tuæ : nam oves tuæ vocem tuam audiunt ; voca me nihilominus , non meis meritis , sed tua permotus misericordia ; quæ enim utilitas in sanguine meo , si descendero in corruptionem ?

Et jube me venire ad te, summum et

unicum bonum meum, ad cuius fructum nem creatus sum, jube me venire ad te, qui omnes vocas ad te, et solus mihi sufficis. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum?

Ut cum Sanctis tuis, licet illorum consortio sim indignus, a tua tamen infinita bonitate ad illud admissus, *Laudem te*, Deum Salvatorem meum.

In sæcula sæculorum. Amen. Eequando veniam, mi Jesu, et apparebo ante faciem tuam?

ADORATIO CHRISTI IN EUCHARISTIA.

O Domine Jesu Christi, verus Deus et Homo! Ego te hic vere præsentem agnosco, supplex adoro, de vivæ Carnis tuæ et Sanguinis, corporisque et animæ veritate nihil omnino dubitans. Utinam verè eo te modo contemplari et cognoscere, diligere, laudare et glorificare queam, quo tot sanctorum Angelorum millia summo cum gaudio te contemplantur, cognoscunt, diligunt et glorificant in cœlis! Quantum enim tibi debeo, quod amore mei e cœlo descenderis, teque in ara crucis pro me obtuleris, et te in immortale monumentum amoris tui in Sacramento reliqueris? Væ mihi, si amorem hunc amore non compensem!

ACTUS FIDEI, SPEI, CHARITATIS, ET RESIGNATIONIS CORAM VENERABILI.

O Sapientia infinita! o æterna veritas! o bonitas immensa! quæ nec falli, nec fallere potes: credo in te, et credo tibi in omnibus, quæ revelasti, perque Ecclesiam mihi credenda proponis. In primis vero credo, te in sanctissimo hoc Sacramento esse præsentem, prout apertis verbis asseruisti, quibus plus tribuo, quam ingenio meo, omnibusque sensibus. Pro hac fide per tuam gratiam mori sum paratus.

Spero in te, o bonitas infinita! teque per inexhaustam misericordiam tuam, et pretiosissima merita, veniam, gratiam et gloriam mihi promissam, daturum confido.

Amo, et amabo te, et omnia, quæ tu amas, propter te, o fons infinite omnis boni! quia te omni amore dignus es.

Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine et amabilitate tua, et de omni obsequio, laude, honore et gloria tibi ab electis tuis, et creaturis omnibus umquam reddita, et in æternum reddenda.

Te tuumque in omnibus beneplacitum amplector, omnique possibili reverentiæ, fiduciæ, amoris, et pietatis affectu veneror et exosculor.

Quidquid in me est affectus erga creaturas, in te solum transfero. Quidquid egero, aut passus fuero, in omnem æternitatem cedat ad tuam gloriam.

Totus sum tuus: fac de me quidquid vis, nunc, et in æternum. Amen.

LAUS SS. SACRAMENTI.

Laudetur sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot in cœlo stellæ, in igne scintillæ, in aëre atomi, in mari guttæ, in terra pulveres: quot in vere flores, æstate grana, autumnio folia, hieme nives et grandines: quot corporeæ in universo sunt creaturæ; quia dignus es, Domine, universorum, qui sub corporeis vini panisque speciebus lates. Vere tu es Deus absconditus. *Is. 45. 15.*

Laudetur sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot ullo opere exhiberi, quot ore proferri, quot corde omnium hominum excogitari umquam potuere, vel possunt; quia dignus es tu, Domine, Pater noster, qui nos cibus et potas quotidie, cujus redempti sumus pretioso Sanguine, quasi Agni immaculati. *1. Petr. 1. 19.*

Laudetur sanctissimum Sacramentum, tot laudibus, quot omnes Angeli, ipsaque sanctissima Trinitas sua potentia deprome-

re, sua sapientia concipere, sua bonitate optare potest; quia dignus es, Domine Deus meus, qui mihi donas non tantum humanitatem, verum etiam divinitatem tuam, Dominus meus et Deus meus, vere laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula. *Dan. 3. 52.*

PETITIO.

Benignissime Jesu, a quo manant in nos omnia bona, a quo omnia a nobis mala arcentur: averte a me omnem vanitatem, mentis elationem, carnis libidinem, oris licentiam, contemptum inopum, avaritiæ ardorem, et quidquid demum divinæ Majestati tuæ displicet; ut tibi Deo meo in veritate serviam, et in corde perfecto laudem, et glorificem in sæcula. Amen.

COMMENDATIO SUI.

Commendo me tibi, o bone Jesu! intra mellissimum cor tuum absconde me, nec permiitte me in æternum separari a te. Sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in æternitate præmium. Id rogo te pro me et omnibus amicis meis, per lacrymas, sudorem et sanguinem tuum.

PETITIO BENEDICTIONIS.

Benedic mihi, Domine Jesu, cum Patre et sancto Spiritu, ut habeamque largire gra-

tiam amplectendi semper , et in omnibus , nunc et in hora mortis meæ , tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

ORATIO

AD B. BARBARAM PRO OBTINENDA FELICI MORTE.

Intercessio, quæsumus, Domine , sanctæ virginis et martyris tuæ Barbaræ nos adjuvet : ut qui ejus patrocinium in angustiis et necessitatibus nostris imploramus, auxilium quoque in hora potissimum mortis experiamur. Per Dominum nostrum.

SEPTEM PETITIONES.

I. Ad contemnendas mundi vanitates.

O gratiosa virgo, S. Barbara, quæ in primæ ætatis tuæ flore spretis omnibus mundi deliciis et vanitatibus te totam virtutis studio tradidisti : ora pro me, ut et ego animum a noxiis hujus mundi studiis avocem, Christique servitio me totum impendam. Amen. Pater noster.

II. Ad donum castitatis impetrandum.

O dilecta Christi sponsa, S. Barbara, quæ virginalem castitatem Jesu Christo in sempiternum obsequium obtulisti : ora pro me, ut et ego eidem Domino meo Jesu Christo

casto semper corpore, et mundo corde placere studeam. Amen.

Pater noster.

III. Ad cognitionem Dei impetrandam.

O virgo sapiens et prudens, S. Barbara, quæ singularem sanctissimæ Trinitatis cognitionem a Deo es adepta, eandemque infidelibus communicasti : ora pro me, ut et ego pariter in eadem Dei cognitione ad ipsius gloriam, meamque salutem magis in dies proficiam. Amen.

Pater noster.

IV. Ad impetrandam constantiam in virtutibus.

O clara virtute martyr, S. Barbara, quæ in fide, spe et charitate constans ad mortem usque perstitisti : ora pro me, gratiamque constantiæ in tam salutarium virtutum exercitio impetra ; donec me Deus ex instabili hujus vitæ cursu in regnum suum transferat. Amen.

Pater noster.

V. Ad impetrandam opem in morbis.

O electa Christi famula, S. Barbara, cujus lethalia vulnera Jesus in carcere attactu manuum suarum curavit : ora pro me ; ut et idem Salvator meus Jesus me in infirmi-

tatibus meis invisere, omniâque tam corporis, quam animæ vulnera curare dignetur. Amen.

Pater noster.

VI Ad impetrandam fortitudinem in adversis.

O Ecclesiæ heroïna, S. Barbara, quæ virili fortitudine probra, cruciatus et tormenta omnia amore Christi subiisti: ora pro me, ut et ego omnes hujus vitæ ærumnas æquo semper animo excipiam, patienterque perferam. Amen.

Pater noster.

VII. Ad impetranda in extremis Sacramenta.

O singulare morientium solatium, S. Barbara, cui præ reliquis Sanctis hæc a Deo gratia miseris in agone subveniendi concessa est: ora pro me, ut non nisi omnibus Ecclesiæ Sacramentis rite munitus, ex hac vita emigrare merear. Amen!

Pater noster.

XX.

FERIA VI, SEU DIE VENERIS.

LITANÆ VITÆ ET PASSIONIS JESU CHRISTI.

Ant. Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum: et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

Kyrie, eleïson.

Christe, eleïson.

Kyrie, eleïson.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus,

Spiritus sancte Deus,

Sancta Trinitas unus Deus,

Sapientia æterna,

De Virgine Maria nate,

A tua Genitrice adorate,

Pannis involute,

In præsepio reclinate,

Ubere virgineo lactate,

Miserere nobis.

Jesu

A pastoribus in præsepio cognite, mi-
serere nobis.

Per circumcisionem sub lege facte,

A Magis adorete,

In templo præsentate,

In Ægyptum delate,

Ab Herode ad necem quæsite,

In Nazareth nutrite,

In templo invente,

Parentibus subdite,

A Joanne baptizate,

In deserto tentate,

Cum hominibus conversate,

Gratis odio habite,

Contumeliis vexate,

In monte coram Patribus transfigu-
rate,

Rex mitis Jerusalem ingresse,

Præ compassione lacrymate,

Triginta argenteis vendite,

Ad discipulorum pedes inclinate',

In oratione prostrate,

Ab Angelo confortate,

In agonia sanguineo sudore perfuse,

Osculo a Juda tradite,

A ministris ligate,

A discipulis derelictæ,

Annæ et Caïphæ præsentate,

Alapa a ministro percusse,

Jesus

Miserere nobis.

A falsis testibus accusate, miserere nobis.
 Reus mortis judicate,
 In faciem conspue,
 Oculis velate,
 Colaphis cæse,
 A Petro ter negate,
 Vincetus Pilato tradite,
 Ab Herode sprete et illuse,
 Veste alba indute,
 Barabbæ postposite,
 Flagellis cæse,
 Propter scelera nostra attrite,
 Quasi leprosus reputate,
 Veste purpurea indute,
 Spinis coronate,
 Arundine percusse,
 A Judæis ad Crucem postulate,
 Morte turpissima condemnate,
 Voluntati Judæorum tradite,
 Crucis pondere gravate,
 Tamquam ovis ad occisionem ducte,
 Vestibus exute,
 Clavis in Cruce confixe,
 Propter iniquitates nostras vulne-
 rate,
 Pro inimicis Patrem deprecate,
 Cum iniquis reputate,
 In Cruce blasphemate et illuse,
 A latrone conviciis lacescite,

Miserere nobis.

Jesu

Latroni pœnitenti Paradisum pollicite, miserere nobis.

Qui Joannem Matri tuæ in filium commendasti,

Te a Patre derelictum attestate,

Felle et aceto in siti potate,

Consummata omnia de te scripta testate,

Spiritum in manus Patris commendans,

Usque ad mortem crucis obediens facite,

Lancea transfixe,

Propitiatio nobis facite,

De Cruce deposite,

Gloriose a mortuis resurgens,

In cœlum elevate,

Noster apud Patrem advocate,

Spiritum Paraclitum discipulis elargite,

Matrem super choros Angelorum exaltans,

Vivos et mortuos judicature,

Propitius esto, parce nobis, Domine.

Propitius esto, exaudi nos, Domine.

Ab omni malo, libera nos, Domine.

Ab omni peccato, libera nos Domine.

Ab ira, et odio, et omni mala voluntate, libera nos Domine.

Jesu

Miserere nobis.

Libera nos, Domine.

Te rogamus, audi nos.

A peste, fame et bello,
 A cunctis mentis et corporis periculis,
 A morte perpetua,
 Per sanctam incarnationem tuam,
 Per miraculosam nativitatem tuam,
 Per humilem circumcisionem tuam,
 Per baptismum et sanctum jejunium
 tuum,
 Per labores et vigilias tuas,
 Per dolorosam flagellationem et corona-
 tionem tuam,
 Per sitim, lacrymas et nuditatem tuam,
 Per pretiosam mortem et Crucem tuam,
 Per gloriosam resurrectionem et ascen-
 sionem tuam,
 Per missionem Spiritus sancti Paracliti,
 In die judicii,
 Peccatores, te rogamus, audi nos.
 Ut nobis parcas,
 Ut nobis indulgeas,
 Ut ad veram pœnitentiam nos perducere
 digneris.
 Ut gratiam sancti Spiritus cordibus nos-
 tris clementer infundere digneris,
 Ut Ecclesiam tuam sanctam defendere
 et propagare digneris,
 Ut societates in tuo sancto nomine con-
 gregatas conservare et amplificare
 digneris,

Ut nobis veram pacem, humilitatem et
charitatem largiri digneris,

Ut in gratia et sancto servitio tuo perse-
verantiam nobis dare digneris,

Ut nos ab immundis cogitationibus, et
dæmonum tentationibus, et damna-
tione perpetua liberare digneris,

Ut nos collegio Sanctorum tuorum so-
ciare digneris,

Ut nos exaudire digneris,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce
nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi
nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, mise-
rere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

v. Adoramus te, Christe, et benedicimus
tibi.

R. Quia per S. Crucem tuam redemisti
mundum.

v. Reminiscere miserationum tuarum,
Domine.

R. Et misericordiarum tuarum, quæ a
sæculo sunt.

v. Vide humilitatem meam et laborem
meum.

R. Et dimitte universa delicta mea.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

V. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

ORATIONES VARIE DE PASSIONE DOMINI.

ORATIO DE SINGULIS ARTICULIS PASSIONIS.

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judæis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caïphæ, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari,

colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari. Tu Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam Crucem et mortem tuam, libera me a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

PIÆ SALUTATIONES AD SEPTEM EFFUSIONES
SANGUINIS CHRISTI, CONTRA SEPTEM
VITIA CAPITALIA.

I. In circumcissione, contra luxuriam.

Ave, Jesu, qui cruorem
Tener fundis, et laborem
Subis ab infantia :
Ut servemur a peccatis,
Cor, os, sensus puritatis
Fac ornari gratia.

II. In agonia, contra superbiam.

Ave, Jesu, quo sudore
Mades orans, quo pavore
Nostra luis vitia !
Fac non altum sapiamus,
Sed et casum timeamus
Junctum cum superbia.

III. *In flagellatione, contra iram.*

Ave, Jesu, liniatus
Diris flagris, nil turbatus,
Stas profusus sanguine ;
O fac nobis crux dulcescat,
Vincens iram mens mitescat,
Sævo vacans crimine.

IV. *In coronatione, contra gulam.*

Ave, Jesu, coronatus ;
Heu quam larga purpuratus
Stas cruoris copia !
Trahat sursum spiritalis
Nos voluptas, non carnalis
Ventris ad obsequia.

**V. *In vestium detractioe, contra
avaritiam.***

Ave, Jesu, dum nudaris,
Refricatis cruentaris
Graviter vulneribus :
Christe, tibi fac jungamur,
Nudi nudum te sequamur
Liberis affectibus.

VI. *In crucifixione, contra acediam.*

Ave, Jesu, qui transfossis
Cruce membris, plenis fosis
Sacrum fundis sanguinem :

Ardor tui fac amoris
Urat nos, et vi fervoris
Arceat torpedinem.

VII. *In lateris apertione, contra invidiam.*

Ave, Jesu, qui sacratum
Cor das nobis dilatatum,
Fontem pandens gratiæ,
Aqua lavet, Sanguis ornet,
Et nos duplex amor formet,
Nescios invidiæ.

ORATIONES SANCTI GREGORII DE PASSIONE
CHRISTI.

O Domine Jesu Christe, adoro te in
Cruce pendentem, et coronam spineam in
capite portantem : deprecor te, ut me tua
Cruce liberet ab angelo percutiente. Amen.

Pater noster.

O Domine Jesu Christe, adoro te in Cruce
vulneratum, felle et aceto potatum : depre-
cor te, ut vulnera tua sint remedium ani-
mæ meæ. Amen.

Pater noster.

O Domine Jesu Christe, propter illam
amaritudinem, quam pro me miserrimo
sustinuisti in Cruce, maxime in illa hora,
quando nobilissima anima tua egressa est
de benedicto corpore tuo : deprecor te,

miserere animæ meæ in egressu suo, et perduc eam in vitam æternam. Amen.

Pater noster.

O Domine Jesu Christe, adoro te descendentem ad inferos, et liberantem captivos: deprecor te, ne permittas me illuc introire. Amen.

Pater noster.

O Domine Jesu Christe, adoro te resurgentem a mortuis, ascendentem ad cœlos, sedentemque ad dexteram Patris: deprecor te, ut illuc te sequi, et tibi præsentari merear. Amen.

Pater noster.

O Domine Jesu Christe, Pastor bone, justos conserva, peccatores justifica, omnibus fidelibus miserere, et propitius esto mihi maximo peccatori. Amen.

Pater noster.

O Domine Jesu Christe, adoro te in sepulchro positum, myrrha et aromatibus conditum: deprecor te, ut tua mors sit vita mea. Amen.

Pater noster.

PIA EXERCITATIO.

ERGA CHRISTUM CRUCIFIXUM, ET QUINQUE EJUS
VULNERA.

ORATIO PRÆPARATORIA.

En , amantissime Jesu , qui sponsus sanguinum mihi esse voluisti , ad pedes tuos me prosterno , ut meum in te amorem, debitamque gratitudinem contester. Sed quid rependam tibi, mi Jesu , qui usque in finem dilexisti me, manibusque ac pedibus, imo et cordi tuo inscripsisti me, magno sane et conspicuo caractere ? Quis mihi hoc tribuat, ut sicut tu me, ita et ego te cordi meo inscriptum circumferam , et sicut mei memoria tibi , sic tui mihi nunquam excidat ? O Jesu, quam profuso me charitatis affectu complexus es, qui non tantum manus ac pedes, verum et opulentissimum pectus mihi aperire voluisti , ut inexhausta bonorum cœlestium affluentia desiderium meum expleas ! Suscipe hæc mea , quæ colendis sacris tuis quinque vulneribus vota persolvo : aditum , spero , ad optatissimos hos vitæ fontes misero non intercludes.

ORATIO AD S. VULNUS PEDIS SINISTRI.

Salve, o benedictum vulnus sinistri pedis tui, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sanctissimi vulneris merito evellas pedes meos a laqueo, quem statuerunt mihi inimici mei, et a lapsu animam meam præserve. Non veniat mihi pes superbiæ, nec ambulem in mirabilibus super me; sed in animo contrito, et spiritu humilitatis a te suscipiar.

Ad sacrum hoc vulnus tuum depono et offero omnem afflictionem meam: ut hanc cum cruce et passione tua conjungas, gratiamque largiaris, qua omnes adversitates et misérias amore tui superem, tuæque me semper voluntati conformem. Amen.

Pater noster.

ORATIO AD S. VULNUS PEDIS DEXTERI.

Salve, o benedictum vulnus dexteri pedis tui, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sacratissimi vulneris merito dirigas pedes meos ad currendam viam mandatorum tuorum, ut transeam de virtute in virtutem, donec videam te Deum ac Dominum meum in Sion.

Ad hoc sanctum vulnus tuum depono et

offero omnem fortunam ac felices successus meos, quos mihi divinæ providentiæ tuæ dispositio clementer indulgit: ne illorum insolentia elatus animus te summum bonum meum ad iram unquam provocet. Amen.

Pater noster.

ORATIO AD S. VULNUS MANUS SINISTRÆ.

Salve, o benedictum vulnus sinistræ manus tuæ, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sacratissimi vulneris merito, miserearis fragilitatis et inconstantiae meæ; et in omni bono proposito me confirmes, tantumque insuper mihi amorem præstes, ut dicere queam: Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ad sacrum hoc vulnus tuum depono omnia peccata mea, quæ aut ignorans, aut sciens, volens, unquam commisi. Tu, mi Jesu, pretiosissimo tuo sanguine illa abludere digneris, ne coram justissimo tribunali tuo æternæ damnationis sententiam contra me exposcant. Amen.

Pater noster.

ORATIO AD S. VULNUS MANUS DEXTERÆ.

Salve, o benedictum vulnus dexteræ manus tuæ, mi Jesu, quod in spiritu reveren-

ter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sacratissimi vulneris merito, uberem mihi gratiam et opem contra hostium meorum visibilium et invisibilium conatus largiaris, et in novissimo die ad dexteram tuam statuas, ubi lætus audiam: Venite benedicti.

Ad sacrum hoc vulnus tuum depono et offero tibi omnia opera mea, imo tua, quia tuæ gratiæ omnia, ut debeo, adscribo, cum humillima obsecratione, ut ea tuis sanctissimis operibus unita, æterno Patri offerre meamque inopiam tuis infinitis meritis supplere digneris. Amen.

Pater noster.

ORATIO AD S. VULNUS LATERIS CHRISTI.

Salve, o benedictum vulnus lateris tui, mi Jesu! Salve, o fons amoris, o thesaure inæstimabilis, o requies animæ meæ! Ausimne, benignissime Jesu, ad sacram hanc aram, ad hoc Sanctum Sanctorum accedere, ardensque amore cor tuum deosculari? Per infinitam bonitatem tuam oro te, mi Jesu, ne hoc solatio me privare, ne ab hac unici mei refugii domo arcere velis. Eia, anima mea, accurre cum fiducia ad thalamum suavissimi sponsi tui, hic te omnibus molestiis tuis ac curis, quibus oppri-

meris , exonera ; hic desideria tua et cupiditates exple : hic in optatissima pace conquiesce. Videor mihi , o Jesu , amore tuo duce , per amabilissimum sacri lateris tui vulnus ad cor tuum intromitti. Hic te cum profundissima humilitate , o Jesu , oro, ut ignoscas, quidquid umquam corde, ore aut opere in te peccavi. Hoc sacro sanguinis tui balneo munda cor meum, et benedicti cordis tui formam ac speciem imprime , tuique amoris igne accende , ne quidquam in posterum præter te amem aut desiderem.

Ad sacratissimum hoc cordis tui vulnus , mi Jesu , omnia-cordis mei vota ac desideria pono. Ita, oro, cor meum cordi tuo adstringe , ut nullo umquam tempore ab invicem avellantur , ut vere cum Apostolo exclamem : Quis nos separabit a charitate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an persecutio ? an gladius ? Certus sum . quia neque mors , neque vita , neque instantia , neque futura, neque ulla creatura poterit nos separare a charitate Dei , quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Rom. 8.*

· Pater noster.

ALIÆ SALUTATIONES .

AD QUINQUE VULNERA CHRISTI , PRO IMPE-
TRANDIS TOTIDEM VIRTUTIBUS.

I. AD DEXTERI PEDIS VULNUS , PRO IMPE-
TRANDA HUMILITATE.

Salve , vulnus gratiosum,
Christi fluens sanguine ;
Mihi da cor fructuosum,
Vacans omni crimine,
Simplex , humile, zelosum,
Imo gaudens ordine.
Pater noster.

II. AD SINISTRI PEDIS VULNUS, PRO IMPETRANDA
CASTITATE.

Salve , stillans pedis vena,
Hominum solatio:
Per te fiat in me plena
Carnis castigatio :
Casto tibi mens serena
Jungat se consortio.
Pater noster.

III. AD MANUS DEXTERÆ VULNUS , PRO IMPE-
TRANDA OBEDIENTIA.

Salve , rubens præ cruore
Jesu plaga dexteræ :

O fac tua cum fervore
 Jussa quæram propere ,
 Geram corde , promam ore,
 Præstem promptus opere.
 Pater noster.

IV. AD MANUS SINISTRÆ VULNUS , PRO IMPE-
 TRANDA MANSUETUDINE.

Salve , lævæ vulnus Christi
 Sanguine purpureum,
 Fac me quovis casu tristi
 Mitem et pacificum :
 Cunctis , quos tu redemisti ,
 Lenem ac benevolum.
 Pater noster.

V. AD CORDIS VULNUS, PRO IMPETRANDA
 CHARITATE.

Salve, scissum cum tremore
 Jesu cor dulcissimum :
 Nobis patens ex amore ,
 Præsta cordis gaudium :
 Det virtutum cum splendore
 Caritas incedidium.
 Pater noster.

ALIA ORATIO AD VULNERA CHRISTI.

Rogo te, Domine Jesu , per illa salutifera
 vulnera tua , quæ passus es in Cruce pro
 salute nostra , e quibus emanavit ille pre-

tiosus sanguis quo sumus redempti : vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es : vulnera eam igneo et potentissimo telo tuæ nimiae charitatis. Confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea : Charitate tua vulnerata sum ; ita ut ex ipso vulnere amoris tui uberrimæ fluant lacrymæ, die ac nocte. Percute , Domine , percutere , obsecro , hanc durissimam mentem meam pia et valida cuspidē dilectionis tuæ, et altius ad intima penetra potenti virtute. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

SEPTEM VERBA A CHRISTO IN CRUCE PROLATA.

1. Ave , Jesu , qui mactaris,
Sed tortorum deprecaris
Patrem culpæ parcere :
Prompte fac nos indulgere ,
Nec vindictam exercere ,
Corde, verbis, opere.

2. Ave , Jesu , qui latroni
Pœnitenti summi boni
Promisisti gratiam :
Tali nos contritione ,
Nunc et mortis in agone
Fac mereri veniam.

3. Ave, Jesu, qui præsentem
Cruci Matrem, heu, dolentem
Commendas discipulo :
Pari nos tuere cura ,
Per te constet mens segura
Quovis in periculo.

4. Ave, Jesu, qui dixisti :
Pater , quid me reliquisti
Tantis in suppliciis ?
Ne nos linquas , ut ruamus ;
Semper tecum persistamus,
Fortes in angustiis.

5. Ave, Jesu, qui testaris
Sitim, felle sed potaris,
Tu , qui pascis omnia :
Fac æterna nos sitire ;
Mundi , carnis , fastidire
Fugitiva gaudia.

6. Ave , Jesu , consummasti
Jussa Patris , et donasti
Tua nobis merita :
Bene fac nos inchoare ,
Sed et plene consummare
Tua beneplacita.

7. Ave , Jesu, qui sermonem
Morte claudens et agonem,
Patri tradis animam :

O mors tua nos emundet ,
Vitam bonis fac foecundet ,
Mortem det tutissimam.

ORATIO DE SEPTEM VERBIS CHRISTI.

Domine Jesu Christe , Fili Dei vivi, qui in Cruce pendens dixisti : Pater, dimitte illis , non enim sciunt quod faciunt : fac ut ego amore tui parcam cunctis mihi male facientibus. Et qui dixisti latroni : Hodie mecum eris in paradiso ; fac me ita vivere, ut in hora mortis meæ dicas mihi : Hodie mecum eris in paradiso. Et qui dixisti Matri tuæ : Mulier , ecce Filius tuus ; deinde discipulo : Ecce Mater tua ; fac ut Matri tuæ me societ amor tuus , et charitas vera. Et qui dixisti : *Eli, Eli, lamma sabachthani*; hoc est : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? fac me dicere in omni tribulatione et angustia mea : Pater mi , Domine mi , miserere mihi peccatori , et adjuva me, Rex meus, et Deus meus , qui tuo proprio sanguine redemisti me. Et qui dixisti : Sitio ; fac ut semper sitiam te fontem aquæ vivæ. Et qui dixisti : Pater , in manus tuas commendo spiritum meum ; suscipe me redeuntem ad te. Qui dixisti : Consummatum est ; fac ut audire merear illam dulcissimam vocem tuam , scilicet :

Veni , amica mea , dilecta mea , sponsa mea , veni ut mecum conscendas cum Angelis et Sanctis meis in regno meo epulari, jucundari et commorari , per infinita sæculorum sæcula. Amen.

**SALUTATIONES AD OMNIA MEMBRA CHRISTI , ET
SUI IPSIUS OMNIUMQUE AMICORUM AD CHRIS-
TUM COMMENDATIO.**

Salve , tremendum cunctis potestatibus caput Domini nostri Jesu Christi , Salvatoris nostri , pro nobis spinis coronatum , et arundine percussum. Salve , speciosissima Salvatoris nostri Jesu Christi facies , pro nobis sputis et alapis cæsa. Salvete, benignissimi Domini Jesu Christi Salvatoris nostri oculi, pro nobis lacrymis perfusi. Salve , mellifluum os , gutturque suavissimum Domini nostri Jesu Christi, pro nobis felle et aceto potatum. Salvete, aures nobilissimæ Domini Jesu Christi Salvatoris nostri, pro nobis contumeliis et opprobriis affectæ. Salve, collum humile Jesu Christi, pro nobis colaphizatum, dorsumque sanctissimum pro nobis flagellatum. Salvete, venerabiles Domini nostri Jesu Christi manus et brachia, pro nobis in Cruce extensa. Salve, pectus mitissimum Domini nostri Jesu Christi Salvatoris nostri , pro nobis in

passione conturbatum. Salve , iatus gloriosum Domini nostri Jesu Christi, pro nobis lancea militis perforatum. Salvete, Domini Jesu Christi Salvatoris nostri sacra misericordiæ genua , pro nobis in orationibus flexa. Salvete, Domini Jesu Christi Salvatoris nostri pedes adorandi , pro nobis clavis affixi. Salve , totum corpus Jesu Christi , pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum, et sepultum. Salve, sanguis pretiosissime de corpore Domini Jesu Christi Salvatoris nostri , pro nobis effuse. Salve , sanctissima Domini nostri Jesu Christi anima, in Cruce pro nobis in manus Patris commendata.

In eadem commendatione tibi commendo hodie et quotidie, animam meam, vitam meam , cor et corpus meum, omnes sensus et actus meos, omnes amicos, benefactores, filios, et consanguineos meos, animas parentum , fratrum, sororum , et omnium amicorum ac inimicorum meorum : ut nos protegere, liberare et defendere digneris ab omnibus insidiis inimicorum nostrorum, visibilium et invisibilium : et nunc, et in perpetuum. Amen.

PETITIO BENEDICTIONIS.

Amantissime Jesu, qui expansis in Cruce

brachiis ad amplexum me invitas, et inclinato capite osculum mihi offers; en accurro, gratiamque oblatam admitto. Sed non dimittam te, nisi benedixeris mihi, sicuti famulæ tuæ sanctæ Hedwigi, te in Cruce veneranti, manu dextera clavo exempta (cruce illam in modum bene precantis signando) benedixisti.

LITANIÆ SANCTISSIMI CORDIS JESU.

Has Litanias, quæ quotidie usu venient, præsertim vero post Missæ celebrationem, speciatim pro feria sexta assignamus, propterea quod tam suaviter Passionis Domini nostri Jesu Christi memoria in iis recolitur, atque Ecclesia eodem ipso die festum sanctissimi Cordis celebrat.

Kyrie, eleïson.

Christe, eleïson.

Kyrie, eleïson.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Cor Jesu, Verbo Dei substantialiter unitum, miserere nobis.

Cor Jesu, divinitatis sanctuarium ,

Cor Jesu, sanctæ Trinitatis templum,

Cor Jesu, sapientiæ abyssus,

Cor Jesu, bonitatis oceanus,

Cor Jesu, misericordiæ thronus,

Cor Jesu, thesaurus nunquam deficiens,

Cor Jesu, de cujus plenitudine omnes nos accepimus,

Cor Jesu, pax et reconciliatio nostra,

Cor Jesu, virtutum omnium exemplar,

Cor Jesu , infinite amans et infinite amandum ,

Cor Jesu , fons aquæ salientis in vitam æternam,

Cor Jesu , in quo sibi Pater bene complacuit,

Cor Jesu , propitiatio pro peccatis nostris ,

Cor Jesu , propter nos amaritudine repletum,

Cor Jesu , usque ad mortem in horto tristissimum,

Cor Jesu, opprobriis saturatum,

Cor Jesu, amore vulneratum,

Cor Jesu, lancea perforatum,

Cor Jesu, in Cruce sanguine exhaustum,

Cor Jesu, attritum propter scelera nostra,

Miserere nobis.

Cor Jesu , etiamnum ab ingratis hominibus in sacrosancto amoris Sacramento dilaceratum,

Cor Jesu , refugium peccatorum,

Cor Jesu , fortitudo debilium,

Cor Jesu , consolatio afflictorum,

Cor Jesu , perseverantia justorum,

Cor Jesu , salus in te sperantium,

Cor Jesu , spes in te morientium,

Cor Jesu , cultorum tuorum dulce præsidium,

Cor Jesu , deliciæ Sanctorum omnium,

Cor Jesu , adjutor noster in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis,

Agnus Dei , qui tollis peccata mundi, parce nobis , Domine.

Agnus Dei , qui tollis peccata mundi, exaudi nos , Domine.

Agnus Dei , qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe , exaudi nos.

v. Jesu , mitis et humilis corde.

R. Fac cor meum secundum Cor tuum.

ORATIO.

Concede , quæsumus, omnipotens Deus : ut , qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes , præcipua in nos charitatis

ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem Dominum nostrum.

LITANIÆ DE SEPTEM DOLORIBUS B. V. MARIÆ.

Kyrie , eleïson.

Christe , eleïson.

Kyrie , eleïson.

Christe , audi nos.

Christe , exaudi nos.

Pater de cœlis Deus , miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus , miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Mater dolorosa, ora pro nobis.

Cui in diversorio non fuit locus,

Quæ in stabulum divertere coacta es,

Quæ primogenitum tuum in præsepio collocasti,

Quæ circumcisionem Filii tui commiserata aspexisti,

Quæ Filium tuum in signum, cui contradicetur , esse positum audivisti,

Quæ tuam animam gladio transfodiendam audivisti,

Quæ cum Filio in Ægyptum fugere debuisti ,

Ora pro nobis.

Quæ cæde Innocentium doluisti, ora pro nobis.

Quæ duodennem Filium in templo amis-
sum, triduo dolens quæsivisti,

Quæ constans Judæorum in Filium tuum
odium sensisti,

Quæ in die ultimæ cœnæ Filio Hieroso-
lymam ad passionem eunti tristissi-
mum valedixisti,

Quæ Filium a Juda proditum, et capti-
vum abductum cognovisti,

Quæ Filium tamquam facinosum prin-
cipibus Sacerdotum traditum vidisti,

Quæ Filium falso accusatum audivisti,

Quæ benedictam Filii faciem terribili
alapa cæsam intellexisti,

Quæ Filium a Judæis et lictoribus cru-
delissime tractatum audisisti,

Quæ Filium Barabbæ postponi audivisti,

Quæ Filium flagellis cæsum et spinis
coronatum, conspexisti,

Quæ iniquissimam in Filium sententiam
pronuntiari audivisti,

Quæ Filio crucis pondere onusto ob-
viam ivisti,

Quæ benedictas Filii manus et pedes
horrendis clavis transfigi audivisti,

Quæ suprema Filii tui verba in cruce
excepisti,

Quæ Filio in agone adstitisti,

Oratio pro nobis.

Ora pro nobis.

Libera nos, Domine.

Quæ exanime Filii corpus de cruce deposi-
situm materno gremio excepisti,

Quæ a sepulto Filii corpore tota tristes
et desolata domum rediisti,

O Regina martyrum,

O speculum afflictorum,

O solatium infirmorum,

O fortitudo pusillanimatorum,

O refugium peccatorum,

Propitius esto, parce nobis, Domine.

Propitius esto, exaudi nos, Domine.

Per amarissimam passionem et mortem
tuam, libera nos, Domine.

Per acerbissimos dolores Matris tuæ,

Per summam tristitiam et desolationem
ejus,

Per maximas angustias ejus,

Per gemitus et lacrymas ejus,

Per maternam compassionem ejus,

Ab immoderata tristitia,

A pusillanimitate,

Ab omni occasione et periculo peccati,

Ab insidiis diaboli,

A duritia cordis,

Ab impœnitentia,

A subitanea et improvisa morte,

Ab æterna damnatione,

Peccatores, te rogamus, audi nos.

Ut nos in vera fide, spe et charitate
conservare digneris,

Ut nobis perfectum de peccatis dolorem
 et pœnitentiam largiri digneris ,
 Ut invocantibus eam consolationem et
 opem ferre digneris,
 Ut in agone mortis nobis succurrere di-
 gneris ,
 Ut beatum nobis vitæ exitum donare di-
 gneris,
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce
 nobis, Domine.
 Agnus Dei , qui tollis peccata mundi , ex-
 audi nos , Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, mise-
 rere nobis.
 Christe , audi nos.
 Christe , exaudi nos.
 Kyrie , eleïson.
 Christe , eleïson.
 Kyrie, eleison.
 Pater noster.
 Ave Maria.
 v. In omni tribulatione et angustia.
 R. Succurre nobis , beatissima Virgo
 Maria.

OREMUS.

Interveniat pro nobis, quæsumus, Do-
 mine Jesu Christe , nunc et in hora mortis
 nostræ apud tuam clementiam B. Virgo

Maria , mater tua , cujus sacratissimam animam in hora tuæ passionis doloris gladius pertransivit. Per te, Jesu Christe , Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum.

R. Amen.

PLANCTUS BEATÆ Mariæ Virginis.

*** Stabat Mater dolorosa,
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.**

**Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem
Pertransivit gladius.**

**O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater unigeniti !**

**Quæ mœrebat, et dolebat,
Pia Mater dum videbat
Nati pœnas inclyti.**

**Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio ?**

**Quis non posset contristari,
Christi Matrem contemplari
Dolentem cum Filio ?**

**Pro peccatis suæ gentis,
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.**

Vidit suum dulcem natum,
Morientem, desolatum,
Dum emisit spiritum.

Eia Mater, fons amoris.
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.

Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum ;
Ut sibi complaceam.

Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

Tui nati vulnerati ,
Tam dignati pro me pati,
Poenas mecum divide.

Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.

Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero.

Virgo virginum præclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.

Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolare.

Fac me plagis vulnerari,
Fac me cruce inebriari,
Et cruore Filii.

Flammis ne urar succensus
Per te, Virgo, sim defensus
In die iudicii.

Christe, cum sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriæ.

Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Paradisi gloria. Amen.

v. Tuam ipsius animam doloris gladius
pertransibit.

R. Ut revelentur ex multis cordibus co-
gitationes.

OREMUS.

Interveniat pro nobis etc. *pag. 324.*

XII.

DIE SABBATI.

* OFFICIUM DE IMMACULATA CONCEPTIONE BEATÆ Mariæ.

*Hoc Officium, prout in hac editione
legitur, omnes in partes congruit Officio
quod anno 1838, a S. Congregatione S.
Officii approbatum, Romæ e Typographia
Rev. Cam. Apost. prodijt. In fine istius
Officii additur: Sanctitas Sua concessit ter*

centum dies indulgentiæ , quotiescumque recitetur hoc Officium, vivæ vocis oraculo. *Hujus Officii recitationem admodum placere Beatæ Virgini , atque utilissimam esse ad obtinendam castitatem, piorum usu et innumeris experientiæ argumentis comprobatum est.*

AD MATUTINUM.

Eia, mea labia , nunc annuntiate
Laudes et præconia Virginis beatæ.

v. Domina , in adjutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

v. Gloria Patri. Alleluia.

A Septuagesima usque ad Pascha, loco Alleluia , dicitur : Laus tibi , Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

Salve, mundi Domina,
Cœlorum Regina :
Salve, Virgo virginum,
Stella matutina.

Salve, plena gratia,
Clara luce divina :
Mundi fin auxilium,
Domina , festina.

Ab æterno Dominus
 Te præordinavit
 Matrem unigeniti
 Verbi, quo creavit
 Terram, pontum, æthera :
 Te pulchram ornavit
 Sibi sponsam, quæ in
 Adam non peccavit.

v. Elegit eam Deus, et præelegit eam.

R. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

v. Domina, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Sancta Maria, Regina cœlorum, mater Domini nostri Jesu Christi, et mundi Domina, quæ nullum derelinquis, et nullum despicias; respice me, Domina, clementer oculo pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum: ut qui nunc tuam sanctam et immaculatam conceptionem devoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso quem virgo peperisti, donante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et sancto Spiritu vivit et regnat, in Trinitate perfecta Deus in sæcula sæculorum. Amen.

v. Domina, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

v. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

v. Fidelium animæ per misericordiam
Dei requiescant in pace.

R. Amen.

AD PRIMAM.

v. Domina, in adjutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter de-
fende.

Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Salve, Virgo sapiens,
Domus Deo dicata,
Columna septemplici
Mensaque exornata.

Ab omni contagio
Mundi præservata :
Ante sancta in utero
Parentis, quam nata.

Tu, Mater viventium,
Et porta es Sanctorum :
Nova stella Jacob,
Domina Angelorum :
Zabulo terrificis
Acies castrorum :

Portus et refugium
Sis Christianorum. Amen.

v. Ipse creavit illam in Spiritu sancto.

R. Et effudit illam inter omnia opera sua.

v. Domina, exaudi etc. *cum oratione*

p. 329.

AD TERTIAM.

v. Domina, in adiutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

v. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Salve, arca fœderis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris,
Rubus visionis :

Virga frondens germinis :
Vellus Gedeonis :
Porta clausa Numinis,
Favusque Samsonis.

Decebat tam nobilem
Natum præcavere
Ab originali
Labe Matris Evæ

Almam, quam elegerat,
Genitricem vere,
Nulli prorsus sinens
Culpæ subiacere. Amen.

v. Ego in altissimis habito.

R. Et thronus meus in columna nubis.

v. Domina, exaudi etc. *cum oratione*
p. 329.

AD SEXTAM.

v. Domina, in adjutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

v. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Salve, Virgo puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis :

Solamen mœrentium,
Hortus voluptatis :
Palma patientiæ,
Cedrus castitatis.

Terra es benedicta
Et sacerdotalis,
Sancta et immunis
Culpæ originalis.

Civitas altissimi,
Porta orientalis :
In te est omnis gratia,
Virgo singularis. Amen.

v. Sicut lilium inter spinas.

R. Sic amica mea inter filias Adæ.

v. Domina , exaudi etc. *cum oratione*
p. 329.

AD NONAM.

v. Domina, in adjutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

v. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Salve, urbs refugii,
Turrisque munita
David, propugnaculis
Armisque insignita.

In conceptione
Charitate ignita,
Draconis potestas
Est a te contrita.

O Mulier fortis,
Et invicta Judith !
Pulchra Abisag virgo,
Verum fovens David !

Rachel curatorem
Ægypti gestavit :
Salvatores mundi
Maria portavit. Amen.

v. Tota pulchra es, amica mea.

R. Et macula originalis numquam fuit in te.

R. Domina, exaudi etc. *cum oratione*
p. 329.

AD VESPERAS.

v. Domina, in adjutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter defende.

v. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Salve, horologium,
Quo retrogradiatur
Sol in decem lineis;
Verbum incarnatur.

Homo ut ab inferis
Ad summa attollatur,
Immensus ab Angelis
Paulo minoratur.

Solis hujus radiis
Maria coruscat;
Consurgens aurora
In conceptu micat.

Lilium inter spinas,
Quæ serpentis conterat

Caput : pulchra ut luna,
Errantes collustrat. Amen.

V. Ego feci in coelis, ut oriretur lumen
indeficiens.

R. Et quasi nebula texi omnem terram.

V. Domina, exaudi etc. *cum oratione*
p. 329.

AD COMPLETORIUM.

V. Convertat nos, Domina, tuis preci-
bus placatus Jesus Christus Filius tuus.

R. Et avertat iram suam a nobis.

V. Domina, in adjutorium meum intende.

R. Me de manu hostium potenter de-
fende.

V. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Salve, Virgo florens,
Mater illibata,
Regina clementiæ,
Stellis coronata.
Super omnes Angelos
Pura, immaculata,
Atque ad Regis dexteram
Stans veste decorata.
Per te, Mater gratiæ,
Dulcis spes reorum,

Fulgens stella maris,
Portus naufragorum.

Patens cœli janua,
Salus infirmorum,
Videamus Regem

In aula Sanctorum. Amen.

v. Oleum effusum , Maria, nomen tuum.

R. Servi tui dilexerunt te nimis.

v. Domina , exaudi etc. *cum oratione*
p. 329.

COMMENDATIO.

Supplices offerimus
Tibi, Virgo pia,
Hac laudum præconia ;
Fac nos ut in via
Ducas cursu prospero ;
Et in agonia
Tu nobis assiste ,
O dulcis Maria. Amen.

R. Deo gratias.

*Centum dies indulgentiæ, quotiescumque
sequens oratio jaculatoria corde contrito
devote recitabitur, concessit Pius Papa VI,
21 nov. 1793.*

* In conceptione tua, Virgo Maria, immaculata fuisti ; ora pro nobis Patrem, cujus Filium Jesum de Spiritu sancto conceptum peperisti.

LITANIÆ LAURETANÆ.

Kyrie, eleison etc. *Vide pag. 218.*

ANTIPHONA.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta, domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsentata.

v. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde: ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

v. Ora pro nobis, beatissime Joseph.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus, Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

R. Amen.

v. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

v. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

v. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

ORATIONES VARIÆ AD BEATAM VIRGINEM.

ORATIO S. AUGUSTINI AD BEATAM VIRGINEM.

O beata Maria! quis tibi digne valeam jura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perditio? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe igitur quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, cul-

pas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe, quod offerimus: redona quod rogamus; excusa, quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum: per te speramus veniam delictorum, et in te, beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Assiste parata votis poscentium, et repende omnibus optatum effectum. Sint tibi studia assidue orare pro populo Dei, quæ meruisti benedicta Redemptorem ferre mundi, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO S. BERNARDI AD DEIPARAM VIRGINEM.

Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, et humilitas tua Deo tam grata nostræ

veniam impetret vanitati ac superbiæ. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fecunditas tua gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræsentâ. Fac, o benedicta, per gratiam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miserix nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos beatitudinis et gloriæ suæ, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

ALIA ORATIO AD B. VIRGINEM.

Memorare, o piissima etc. *Vide pag. 103.*

TRINA SALUTATIO B. VIRGINIS A S. MECHTILDE
USURPATA, PRO IMPETRANDA FELICI MORTE.

Ave Maria.

O Domina mea, S. Maria, sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit: ita mihi, quæso, adsis in hora mortis, omnemque mihi contrariam potestatem a me potenter averte.

Ave Maria.

O Domina mea, S. Maria, sicut Filius Dei divina scientia et sapientia te replevit; ita, quæso, animam meam lumine fidei in hora mortis illustra et corrobora, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur, et in perditionem seducatur.

Ave Maria.

O Domina mea, S. Maria, sicut Spiritus sanctus suum amorem plene tibi infudit; ita tu in morte divini amoris dulcedinem mihi instilla, per quem omnis angor et amaritudo tollatur, et cor meum cœlesti consolatione recreetur.

ORATIO QUA B. VIRGO IN PATRONAM ELIGITUR.

Sanctissima Virgo, Mater Dei Maria, ego N. licet undecumque, qui recipiar in numerum tuorum servorum, indignissimus, fretus tamen tua pietate admirabili, et impulsus tibi serviendi desiderio, eligo te hodie, coram castissimo Sponso tuo Josepho, et Angelo meo Custode, universaque curia cœlesti, in meam peculiarem Dominam, Patronam et Matrem, firmiterque propono, te in posterum sequi, tibi famulari, atque curare, ut ab aliis quoque tibi servitium exhibeatur. A te igitur, Mater clementissima, per sacratissimum, quem

pro me Jesus Christus Filius tuus sanguinem fudit, peto suppliciter, ut me in numerum filiorum tuorum admittere digneris, et mihi a Deo gratiam impetres, ut in cunctis meis cogitationibus, verbis et operibus ita me habeam, ut nihil umquam in me, neque Dei neque tuis displiciat oculis, sisque memor mei in hora mortis meæ. Amen.

EXERCITIUM

SINGULARIS DEVOTIONIS ERGA BEATAM VIRGINEM.

—

I. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave Maria, cœli terræque Regina, quæ a Deo in Matrem es electa ante omnia sæcula. Tu es illa beata Mulier, de qua Dominus noster Jesus Christus, ut genus humanum redimeret, carnem voluit assumere. Per te cœlum terræ jungitur, et summa imis cumulantur. Tu es dux vitæ nostræ, tu porta divinæ gratiæ. Tu es securus hujus procellosi mundi portus, tu lætitia cœli, tu exultatio terræ, tu peccatorum tutissimum asyllum, tu certissimum præsidium omnium te invocantium. Ego tali animatus fiducia, ad te venio; ne averseris miserum, o misericordiæ Mater, qui misce-

ricordia tua fretus de miserorum numero in florum tubum sortem transire cupio. Fateor quidem me sæpe ac graviter dilectissimum Filium tuum peccatis meis offendisse, atque idcirco et ipsius, et tuæ gratiæ indignum esse; sed ex intimo corde nunc doleo, quod summum illud bonum, Dominum ac Redemptorem meum Jesum Christum, quem super omnia amo, umquam offenderim, et coram te ejusdem dilectissima Matre emendationem, et satisfactionem polliceor. Obsecro itaque te, Domina, ut mihi veniam peccatorum meorum gratiamque impetres. Tuæ enim est pietatis, Virgo benedicta, ipsam, quam apud Deum invenisti gratiam, notam facere mundo. Amen.

H. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave Maria, Domina post Deum potentissima, Redemptoris nostri Genitrix admiranda, quem virginitate materna, et maternitate virginali, mirabiliter peperisti, tota obstupesciente natura. Ave sacrarium Spiritus sancti. Ave Virgo gloriosa, quæ tamquam aurora coruscans es, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis dæmonibus, et tamquam acies castrorum bene ordinata, Angelorum hominumque laudibus dignis-

sima, sanctos omnes supergrediens. Ave post Deum unigenitum Filium tuum et justitiæ solem potens auxiliatrix mortalium, certa spes et firmum solamen miserorum, humani generis gloria, ornamentum totius universitatis. Omnia sæcula, omnes generationes tibi benedicant. Omnes, o Domina, ad te confugimus, tuam imploramus opem; o benignissima Mater, oculos misericordiæ tuæ ad nos miseros in hac lacrymarum valle converte. Monstra, o Mater, dilectissimo Filio tuo ubera, quibus eum nutritivisti; ostende brachia, quibus eum amplexata es: enumera omnes labores et dolores, quos pro eo sustinuisti: tuum illi cor totum amoris igne flagrans exhibe, ut his commotus nostri misereatur, omnibusque malis, quibus undique circumdamur, incolumes eripiat. Amen.

III. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave Maria, lætitia cœli et exultatio terræ. Tu es illa serenissima luminis Mater, quæ animas omnium amantium te illuminas. Tu es illa dulcissima pietatis Mater, quæ fideles tuos famulos ad gloriosa cœli feliciter perducis habitacula. Tu es illa columba formosa, quæ juxta aquarum fluentia sedes, cujus vestimenta incredibili-

lem spirant odoris suavitatem. Ad te faciem meam levo, cœli Regina: ad te oculi cordis mei suscipiunt: in te confidit anima mea. Tu es arx fortissima, in qua securi sunt omnes ad te confugientes. Tu es fidelissima propugnatrix omnium te laudantium. Tu es illa clavis, quæ portas Paradisi reserat. Laudo et glorifico te, Virgo gloriosa, colo et veneror humillime intemerata illa et intacta tua viscera. Concede mihi, obsecro, ut tribulationibus et miseriis hujus vitæ oppressus, in maternæ pietatis tuæ sinu locum inveniam: fac ut sim in numero eorum, quos tu amas, et in tuo castissimo pectore adscriptos habes, quos tu doces, dirigis et defendis in omni necessitate. Amen.

IV. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave Maria, æterni Regis Mater millies felix et beata: tu post unigenitum Filium tuum omnibus rebus dominaris. Tibi omnes ætates et generationes caput inclinant; tuis pedibus se terrarum substernit ambitus. Post ineffabilem enim et summam Trinitatem nil dignius te, nil pulchrius habet cœleste palatium. Tu Mater, tu Filia, tu Sponsa es Dei Altissimi. Tota pulchra, tota formosa es. Ad tuum nomen dæmones

contremiscunt : cum splendor tuus se prodit tenebrae diffugiunt , portæque cœli ad nutum tuum aperiuntur. Tu es vera spes Christianorum post Jesum Christum Filium tuum. Tu es Regina misericordiae , tu vitæ nostræ dulcedo. Omnes ad te clamant , et tu respondes omnibus , intercedis pro omnibus. Auxilium tuum ne auferas a me : pietas tua non desit mihi , nec memoria tui in me umquam intermoriatur . Si tu me , Domina , derelinquas , quis me suscipiet ? Si tu obliviscaris mei , quis mei recordabitur ? Si tu , o stella maris , et peccatorum dux , me non illumines , quo tandem vadam ? Quid de me fiet , si a te excludar ? Audi ergo , o Mater , audi miserum ad te clamantem : recordare , obsecro , quod propter nos peccatores Dei Filius te in Matrem elegerit. Idcirco ad te confugio , ut per te , o Mater mea , misericordiam inveniam apud Patrem misericordiarum , et Deum totius consolationis , Filium tuum Dominum ac Redemptorem nostrum , et Spiritum sanctum. Amen.

V. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave Maria , ave inter Sanctos post Deum sanctissima et potentissima Domina. O Mater ! o Virgo ! quibus te laudibus efferam

nescio ; omnia gloriosa sunt in te. Beatam merito te dicunt omnes generationes. Dei genitrix, Domina mundi, Regina cœli, quæ omnibus generationibus vitam et gloriam genuisti. In te Angeli lætitiā, justī gloriam, peccatores veniam inveniunt. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia per te et in te, et de te benigna manus Omnipotentis quidquid creavit, recreavit. Tu vere urbs refugii, portus naufragantium, et solatium omnium in te sperantium. Tu ornamentum es totius universitatis. Tu Domina es, nos servi tui. Tu Regina, nos clientes tui. Tu spes universæ terræ es. Ad tui memoriam recreantur et hilarescunt fideles animæ. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri. Multæ filiæ congregaverunt divitias; tu supergressa es universas. Tu Mater es pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. Tu, velut Esther Assuerum, Deum Patrem placasti, et invenisti gratiam in oculis ejus. Tu, velut Judith Holofernem, diabolum superasti. O Maria ! deest mihi vox et spiritus, quo te condigne laudem. Vos ergo, o sancti Angeli et Electi Dei, Mariæ laudes pro me in æternum decantate. O quando illud tempus veniet, quo et mihi vobiscum liceat

Dei et Mariæ laudes sine fine in cœlesti gloria prædicare ! Hoc tuis in primis, o potentissima Domina, vestrisque, o SS. Angeli et Electi Dei, precibus mihi, oro, apud Deum impetrate. Amen.

VI. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave Maria, sole clarior, luna pulchrior. Ave, splendidissima stella, de qua natus est sol justitiæ Christus Deus noster. Tu es Virgo super omnem pulchritudinem formosa : tu Mater super omnem honestatem gloriosa, quæ benignissimis oculis sanctissimam Filii tui Ecclesiam, quacumque in mundi parte illa sit, intueris. Dulce tuum nomen reficit laborantes : serena lux tua illuminat cæcos : suavis odor virtutum tuarum exhilarat justos, et benedictus fructus ventris tui Jesus beatos exsatiat. Tu post Deum prima laudem omnium hominum et Angelorum mereris. Dominus te creavit Virginem sine macula. Dominus te amavit super omnes creaturas. Tu generis humani gloria. Tu super omnes choros Angelorum es exaltata. Tu pulchritudo et ornamentum es totius universi. Ne avertas faciem tuam a me peccatore : quis enim umquam te invocavit, et exauditus non est ? Quis a te quidquam petivit, quod non im-

petravit? Quis umquam servivit tibi, quem non liberaliter et magnifice remunerasti? Sileat misericordiam tuam, Virgo Beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis meminerit defuisse. Obsecro itaque, o potentissima Domina, impetra mihi a Filio tuo veram cordis contritionem; et fac, ut, spretis omnibus blanditiis et cupiditatibus, in Christo Jesu teque benedicta ejus Matre omnis mea sit voluptas. Amen.

VII. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave Maria, Mater misericordiæ. Ave reparatrix gratiæ et veniæ; quis te non amet? Quis te non honoret? Quis se tibi non commendet? Tu es lux nostra in rebus dubiis, in moestis consolatio, in angustiis recreatio, in periculis et tentationibus fidele auxilium. Tu es post unigenitum Filium tuum certa salus et spes nostra. Beati qui te amant, et per sanctitatem vitæ familiares tibi fiunt, et devoti famuli. Beati quos tu singulariter tibi commendatos habes. O sapientissima Mater! suscipe me in clientulum tuum. In benedictas manus tuas, et in sinum misericordiæ tuæ, animam et corpus meum cum filiali fiducia nunc et in hora mortis meæ commendo. Rege, doce, dirige

et defende me in omnibus secundum tuam voluntatem, Respice, o Domina, ad servi tui, licet indignissimi, preces; respice ad omnes necessitates meas. Ad te ego velut upicum asylum meum confugio: sub pallio maternæ protectionis tuæ absconde me. Noli me a te, Mater misericordiæ, repellere; nam sine te vivere non potest anima mea. Amen.

SEPTEM GAUDIA B. VIRGINIS.

I. Gaude, Virgo, Mater Christi,
Quia Jesum concepisti,
Gabriële nuntio.
Fac, o Mater, ut salvemur;
Nam, quod Matrem te fatemur,
Recta poscit ratio.

Ave Maria.

II. Gaude, Mater, Deo plena.
Novo gignens sine pœna
Foetum puerperio.
Ela, Virgo, peramoena
Casto Natum mens serena
Stringat desiderio.

Ave Maria.

III. Gaude, quod ab Oriente
Magi, stella prælucente,
Dona ferunt Filiâ.

Fac donemur pietate,
Fide, Spe et Charitate,
Pudorisque lilio.

Ave Maria.

IV. Gaude, quia dulcis Nati,
Quem vidisti mortem pati,
Fulget resurrectio.
Fac ab imo vitiorum
Surgat mens et supernorum
Gustum spiret actio.

Ave Maria.

V. Gaude, cœlos ascendente
Nato, vides quem repente
Ferri motu proprio.
Via vitæ restituta,
Quam post Natum te secuta,
Fac sequamur serio.

Ave Maria.

VI. Gaude, quia Paracletus
Missus cœlo novos fœtus
Igne format entheo.
Igne sacri nos amoris
Fac accendi, ne laboris
Capiamur tædio.

Ave Maria.

VII. Gaude, quæ post Christum scandis
Astra cœli, nuncque pandis

Aditum ad æthera.

O fac, fructu ventris tui

Per te nobis detur frui

In cœlesti gloria. Amen.

Ave Maria.

Septem dolores B. V. vide feria VI sequentis Septimanæ.

ORATIO

PRO PERSEVERANTIA IN CULTU B. VIRGINIS
IMPETRANDA.

Deus, qui nos sub alis sanctissimæ Matris Filii tui constitutos, ad bravium supernæ vocationis ascendis, pectoribus nostris purificandis illabere, et gratiam nobis qua in tuo et ejusdem sacratissimæ Virginis Mariæ servitio perseveremus, infunde; ut protectionis tantæ munite præsidiis, quod te, Domine, donante concepimus, impleamus, et nostri propositi executores effecti, ad ea, quæ perseverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus. Per eundem Dominum nostrum.

COMMENDATIO SUI AD BEATAM VIRGINEM.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, et in sinum misericordiæ tuæ,

hodie et quotidie, et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem meam et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitæ meæ tibi committo; ut per tuam sanctissimam intercessionem, et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

PETITIO BENEDICTIONIS.

Eia, anima mea, prosterne te ad pedes Matris tuæ Mariæ, nec ante recede, quam illa tibi benedixerit. O benedicta a Deo et omnibus benedictionibus cumulata, benedic, pro tua clementia et pietate, afflictæ animæ meæ, uberemque gratiam mihi a dilectissimo Filio tuo impetra, ita ipsi tibi que hic in terra serviendi, ut æternum gloriæ particeps efficiar.

R. Amen.

MODUS PIE RECITANDI ROSARIUM.

* *Integrum Rosarium quindecim constat decadibus. Hoc autem pietatis exercitium optime inchoatur ab oratione Veni sancte, etc. pag.22. Tum ad crucem dicitur Credo; ad maiora grana, Pater noster; ad minora,*

Ave Maria. *Ante Orationem Dominicam semper dicitur : Gloria Patri. Rosarium sæpe dividitur in tres partes , quarum prima vocatur Rosarium gaudiosum ; secunda , dolorosum ; tertia , gloriosum. Ad singula minora grana quinque decadam expendi possunt totidem mysteria.*

Plurimi tamen sequentem modum pie et attente expendendi quindecim Mysteria anteponendum censent, eorumque sententia minime est improbanda , cum modus ille sit multo facilior, unusque ejus frequentissimus. Ea meditandi ratio in eo consistit , ut ad singula majora grana , ante Orationem Dominicam , semel tantum in memoriam revocetur Mysterium, quod orantium meditationi considerandum proponitur. Hunc modum vide infra ubi de Rosario perpetuo agitur.

Perspicuum est , quæ hactenus diximus, ea de Rosario ordinario quindecim decadam , sive etiam de tertia ejus parte esse intelligenda. Cum vero non pauci reperiantur fideles , quibus per tempus vix licet tam longas preces quotidie peragere, Beatissimus Pater noster GREGORIUS PAPA XVI. die 17 Jan. 1832 approbavit , commendavit , indulgentiisque ditavit pium exercitium ,

hodieque adeo pervulgatum nomine : ROSARIUM PERPETUUM seu VIVENS. Hoc vero exercitium in eo consistit : 1. ut fideles quindeni ineant societatem, simulque statuunt singuli singulas Rosarii decades quotidie recitare : 2. ut singulis mensibus, stata die, jam memorata quindecim Mysteria inter se sorte distribuunt, singulique suam decadem, hoc est semel Orationem Dominicam et decies Salutationem Angelicam quotidie recitent in honorem illius Mysterii quod sors eis dedit. Rosarium perpetuum ideo vel maxime Sanctitas Sua commendavit, quod nova hac facilitate Rosarii recitationem magis etiam frequentandam putat atque e conjunctis pluriam supplicationibus novam sane vim, Deoque peramœnam, huic tam pio exercitio accedere novit. Necesse autem est, ut ante recitationem decadis paulisper pia mente consideres mysterium, quod honorandum accepisti.

Ut Rosarii perpetui vere sis membrum, eaque lege innumeras indulgentias ei annexas lucrari queas, necessario requiritur : 1º ut inter quindecim socios alicubi sis adscriptus ; 2º ut quotidie tuam decadem recites, pia mente paulisper considerando mysterium tibi sorte assignatum ; 3º ut stato tempore honorandum mysterium sorte

mutetur. Eorum omnium unus e quindecim sociis curam habet, qui propterea ZELATOR nuncupatur. Ut nihil ad exercitium illud rite peragendum desiderari possit, hic quindecim mysteria, fructusque eis congruenles paucis transcribimus.

PRIMUM MYSTERIUM.

(1. Gaudiosum).

ANNUNTIATIO BEATÆ Mariæ Virginis et Verbi Incarnatio. *Fructus Mysteriorum* : Humilitas.

Credo. Pater. Ave (ter.) Tum Gloria Patri, Pater, et decies : Ave. Gloria Patri.

SECUNDUM MYSTERIUM.

(2. Gaudiosum).

VISITATIO B. Mariæ Virginis apud Sanctam Elisabeth. *Fructus Mysteriorum* : Amor proximi. Pater. Decies : Ave. Gloria Patri.

TERTIUM MYSTERIUM.

(3. Gaudiosum).

NATIVITAS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. *Fructus Mysteriorum* : Paupertas. Pater. Decies : Ave. Gloria Patri.

QUARTUM MYSTERIUM.

(4. Gaudiosum).

PRÆSENTATIO JESU IN TEMPLO. *Fructus Mysteriorum* : Obedientia. Pater. Decies : Ave. Gloria Patri

QUINTUM MYSTERIUM.

(5. Gaudiosum).

INVENTIO JESU IN TEMPLO. *Fructus Mysteriorum* : Jesu amica quæsitio et consecratio.

Pater. *Decies* : Ave. Gloria Patri.

SEXTUM MYSTERIUM.

(1. Dolorosum).

JESUS IN HORTO OLIVARUM. *Fructus Mysteriorum* : Contritio.

Pater. *Decies* : Ave. Gloria Patri.

SEPTIMUM MYSTERIUM.

(2. Dolorosum).

FLAGELLATIO. *Fructus Mysteriorum* : Amor poenitentiae.

Pater. *Decies* : Ave. Gloria Patri.

OCTAVUM MYSTERIUM.

(3. Dolorosum).

JESUS SPINIS CORONATUS. *Fructus Mysteriorum* : Mortificatio amoris proprii.

Pater. *Decies* : Ave. Gloria Patri.

NONUM MYSTERIUM.

(4. Dolorosum).

BAJULATIO CRUCIS. *Fructus Mysteriorum* : Patientia in malis vitae tolerandis.

Pater. *Decies* : Ave. Gloria Patri.

DECIMUM MYSTERIUM.

(5. Dolorosum).

JESUS CRUCI AFFIXUS. *Fructus Mysteriorum* :
Amor Jesu et Mariæ.

Pater. *Decies* : Ave. Gloria Patri.

UNDECIMUM MYSTERIUM.

(1. Gloriosum).

RESURRECTIO. *Fructus Mysteriorum* : Con-
versio cordis.

Pater. *Decies* : Ave. Gloria Patri.

DUODECIMUM MYSTERIUM.

(2. Gloriosum).

ASCENSIO. *Fructus Mysteriorum* : Desiderium
cœli.

Pater. *Decies* : Ave. Gloria Patri.

DECIMUM TERTIUM MYSTERIUM.

(3. Gloriosum).

SPIRITUS SANCTUS IN APOSTOLOS DESCEN-
DENS. *Fructus Mysteriorum* : Mentis ad divina
applicatio, animique puritas.

Pater. *Decies* : Ave. Gloria Patri.

DECIMUM QUARTUM MYSTERIUM.

(4. Gloriosum).

ASSUMPTIO BEATÆ Mariæ Virginis. *Fructus
Mysteriorum* : Gratia sanete moriendi.

Pater. *Decies* : Ave. Gloria Patri.

DECIMUM QUINTUM MYSTERIUM.

(5. Gloriosum).

MARIA VIRGO IN COELI CORONATA. *Fructus
Mysterii* : Fiducia erga B. M. V.

Pater. *Decies* : Ave. Gloria Patri.

Cum toties fiat mentio Coronæ B. M. V. seu Rosarii sanctæ Birgittæ, quale illud sit, non abs re erit sincero Mariæ cultori exponere. Illud Rosarium sex constat decadibus et tribus aliis parvis granis, hoc est, septem majoribus et sexaginta tribus minoribus granis, in honorem sexaginta trium annorum, quos, e communi opinione pia Jesu Mater in terris vixit. Septem granis majoribus, septem ejus dolores septemque gaudia recoluntur. Huic Rosario innumeræ annexæ sunt indulgentiæ, quæ tamen omnes Rosariis nostris ordinariis quinque decadam annecti possunt et solent.

LITANIÆ IN HONOREM BEATI JOANNIS BERCHMANS.

Kyrie , eleïson.

Christe , eleïson.

Kyrie , eleïson.

Christe , audi nos.

Christe , exaudi nos.

Pater de cœlis Deus , miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus , miserere nobis.

Spiritus sancte Deus , miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus , miserere nobis.

Sancta Maria , beati Joannis patrona , ora pro nobis.

Beate Joannes ,

Sanctæ Mariæ Virginis famule insignis ,

Mariani cultus zelator,

Immaculatæ Conceptionis Mariæ propugnator,

Piarum congregationum Mariæ defensor,

Erga S. Josephum pietate eminens,

Erga sanctos Angelos custodes respectu et veneratione abundans,

Sancti Ignatii fili dignissime ,

Sanctorum Aloysii et Stanislai imitator perfecte,

Beate Joannes,

Ora pro nobis.

Absolutum obedientiæ exemplar, ora
pro nobis.

Sanctæ paupertatis amator,
Angele puritate et modestia,
Qui tam castus eras et modestus, ut
omnes te intuentes bonis sensis
afficerentur,

In angelica castitatis virtute custo-
dienda vigilantissime,

Juvenibus ad bonum exemplar,
Christianæ juventutis ornamentum,

Qui ætate et sapientia crescebas,
Parentum tuorum gaudium et deli-
ciæ,

Magistrorum tuorum admiratio et
oblectatio,

Sodalium in virtute adauctor,
Modestia et mansuetudine amabilis
et jucunde,

Sanctissimi Sacramenti fervens ado-
rator,

Qui sæpe et mira cum præparatione
ad sancta sacramenta accedebas,

Qui tempus tuum tum orando tum
laborando transigebas,

In cujus agendi ratione nullus defe-
ctus deprehendi poterat,

Qui minima maximo explebas fer-
vore,

Beate Joannes,

Ora pro nobis.

Ab initio ad finem sanctis intente
 cogitationibus,
 In humilitate fundate,
 Deliciarum sæculi generose contem-
 ptor ,
 Insontis corporis tui rigide castiga-
 tor ,
 Qui præter aquam et panem nihil
 expetebas ;
 Qui oculos et linguam caute custo-
 dire valuisti ,
 Speculum veræ et fundatæ pietatis,
 Exactum virtutis et perfectionis ex-
 emplar ,
 In bonis propositis exercitiisque fi-
 delis et constans,
 Qui invocans nomina Jesu et Mariæ
 animam reddidisti,
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce
 nobis , Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi , ex-
 audi nos , Domine.
 Agnus Dei , qui tollis peccata mundi , mi-
 serere nobis.
 Christe , audi nos.
 Christe , exaudi nos.
 Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie,
 eleison.
 Pater noster.

Beate Joannes,

Ora pro nobis.

V. Ora pro nobis, beate Joannes.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Deus bonitatis et charitatis, qui beati Joannis fidelitate in minimis et inviolabili puritate, ipsum divini Filii tui imitatore, nobis exemplar dedisti; concede nobis illum tam perfecte imitari, ut inter beatos numerari, et cum ipso in coelo coronari mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO.

Deus bonitatis et misericordiae, qui nos omnes creasti, ut aeterno salvemur, nec vis aliquem perire; qui beato Joanni maximum indidisti desiderium, sanctitatis etiam apicem attingendi: te deprecamur et obsecramus ut nobis quoque tale infundas desiderium et affectum, ut sincere salvi fieri velimus; nobisque firmam et constantem elargiaris voluntatem opus nostrae salutis ante omnia procurandi, sedulamque ac fidelem operam in eo praestandi. Si tam felices non fuerimus, ut ad instar beati Joannis baptismalem innocentiam conservatam habeamus; da nobis veram de omnibus peccatis contritionem,

ut innocentem non secuti , pœnitentem imitari possimus. Beate Joannes , ora pro nobis ; nobisque acquiras veram omnium delictorum nostrorum pœnitentiam, horrorem a peccatis , summum affectum erga virtutem, ardens nostræ salutis desiderium, et præcipue fidelem usque ad finem in bono perseverantiam ; obtineto nobis eam felicitatem , ut ad tuum exemplum invocantes nomina Jesu et Mariæ spiritum emittamus. Amen.

LITANIÆ DE S. JOSEPHO.

Kyrie , eleïson.

Christe , eleïson.

Kyrie , eleïson.

Christe , audi nos.

Christe , exaudi nos.

Pater de cœlis Deus , miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria, sponsa Joseph, ora pro nobis.

Sancte Joseph , sponse Mariæ Virginis , ora pro nobis.

Tutor et nutritie Jesu, ora pro nobis,

Vir secundum cor Dei, ora pro nobis.

Fidelis servus et prudens, ora pro nobis.
 Custos virginitatis Mariæ,
 Comes et solatium Mariæ,
 In virginitate mundissime,
 In humilitate profundissime,
 In charitate ardentissime,
 In contemplatione altissime,
 Qui vir justus ipsius Spiritus sancti tes-
 timonio comprobatus es ,
 Qui in divinis mysteriis præ omnibus
 illuminatus fuisti ,
 Qui de sacro incarnati Verbi mysterio
 cœlitus edoctus es,
 Qui cum Maria desponsata tibi conjuge
 prægnante in Bethlehempfectus es,
 Qui non inveniens locum in diversorio,
 ad stabulum divertisti,
 Qui Christo nascenti , positoque in præ-
 sepio adesse meruisti ,
 Qui Jesu sanguinem in circumcisione
 excepisti,
 Qui puerum Jesum in templo cum Maria
 Matre Domino præsentasti ,
 Qui , Angeli monitu accepto, cum puero
 et Matre ejus in Ægyptum fugisti ,
 Qui , defuncto Herode, cum puero et
 Matre ejus in terram Israël rediisti ,
 Qui amissum in Jerusalem filium triduo
 cū Maria Matre ejus dolens quæсивisti,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Qui post triduum sedentem illum inter
doctores gaudens invenisti,

Qui Dominum dominantium tibi in ter-
ris subditum habuisti.

Cujus laus est in Evangelio : Vir Mariæ,
de qua natus est Jesus.

Advocate noster , audi nos, S. Joseph.

Patrone noster , exaudi nos, S. Joseph.

In omnibus necessitatibus nostris , adjuva
nos, S. Joseph.

In omnibus angustiis nostris,

In hora mortis nostræ,

Per castissimam desponsationem tuam,

Per paternam curam et fidem tuam,

Per labores et sudores tuos,

Per omnes virtutes tuas,

Per summum honorem et sempiternam
beatitudinem tuam,

Per fidelem intercessionem tuam,

Cientes tui , te rogamus, audi nos.

Ut a Jesu peccatorum nostrorum ve-
niam nobis impetrare digneris ,

Ut Jesu et Mariæ fideliter nos commen-
dare digneris,

Ut omnibus in virginali et conjugali
statu viventibus, convenientem casti-
tatem impetrare digneris ,

Ut omnibus congregationibus perfectum
amorem et concordiam impetrare di-
gneris,

Adjuva nos, S. Joseph.

Te rogamus, audi nos.

Ut præsidentibus et prælatis omnibus in
subditorum suorum gubernatione
adesse digneris ,

Ut patribus-familias in christiana libe-
rorum educatione opitulari digneris,

Ut omnes de tuo patrocínio confidentes
protegere digneris,

Ut congregationibus tuo nomine et pa-
trocínio institutis paterno semper au-
xilio subvenire digneris,

Ut cum Jesu et Maria in extremo vitæ
articulo nos invisere et præsto esse
digneris ,

Ut omnibus fidelibus defunctis interces-
sionis tuæ suffragio succurrere digne-
ris ,

O caste Mariæ sponse,

O fidelis Jesu nutritie,

Sancte Joseph,

Agnus Dei , qui tollis peccata mundi, parce
nobis , Jesu.

Agnus Dei , qui tollis peccata mundi , ex-
audi nos , Jesu.

Agnus Dei , qui tollis peccata mundi , mi-
serere nobis , Jesu.

Jesu Christe , audi nos.

Jesu Christe , exaudi nos.

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie,
eleïson.

Pater noster.

V. Ora pro nobis , beatissime Joseph.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Deus qui , S. Josephum in sponsum B. Mariæ semper Virginis , et Filii tui dilecti Domini nostri Jesu Christi tutorem et nutritium elegisti : te supplices exoramus , animæ et corporis puritatem ejus nobis patrocínio concede propitius ; ut puri ab omni macula , et veste nuptiali ornati , ad cœli nuptias admittamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R. Amen.**



EXERCITIUM

**SINGULARIS DEVOTIONIS ERGA S. JOSEPHUM,
CONSISTENS IN QUINQUE ORATIONIBUS.**



**I. ORATIO , QUA S. JOSEPH IN PATRONUM
ELIGITUR.**

**O S. Joseph , Redemptoris mei Christi
Jesu fidelis œconome ac nutritie , castissi-**

me Virginis Deiparæ sponse ! Ego NN. te hodie in patronum et advocatum meum singularem eligo, firmiterque propono, me numquam te derelicturum, nec permissurum, ut a quoquam ex meis subditis aliquid contra tuum honorem agatur. A te igitur peto suppliciter, ut me in clientem perpetuum suscipere, in rebus dubiis instruere, in adversis solari, in hora denique mortis defendere ac protegere digneris. Amen.

II. ORATIO, AD IMPETRANDAM D. JOSEPH INTER-
CESSIONE GRATIAM PIE COMMUNICANDI.

O beatissime Joseph, quanta tibi a Deo gratia concessa est, quod unigenitum ejus Filium in carne (quem tot reges videre frustra exoptarunt) non tantum videris, sed et brachiis paterno affectu amplexus fueris ! Utinam ego hoc tuo exemplo inflammatus, et patrocinio adjutus, Dominum ac Redemptorem meum Christum Jesum simili amoris ac reverentiæ affectu complectar in sanctissimo Altaris Sacramento, quo merear eundem posthac æternum complecti in cœlis. Amen.

III. ORATIO, UT S. JOSEPHUM IN VIA VITÆ HUIUS
DUCEM ET COMITEM IMPETREMUS.

O S. Joseph, qui tamquam pater et ma-

nuductor Christum Jesum in pueritia et juventute per omnes peregrinationis humanæ vias fidelissime deduxisti : mihi , obsecro, in vitæ meæ peregrinatione tamquam comes et ductor assiste, nec umquam permitte, me a via mandatorum Dei declinare: sis in adversis præsidium, in ærumnis solatium ; donec tandem ad terram viventium perveniam, ubi tecum et sanctissima sponsa tua Maria, omnibusque Sanctis æternum in Deo Jesu meo exultem. Amen.

IV. ORATIO, AD QUÆLIBET D. JOSEPHI INTER- CESSIONE IMPETRANDA.

O S. Joseph, cui Jesus hic in terris sese subjecit , prompteque obedivit , quemque singulari semper honore et amore prosecutus est : quomodo idem in cœlis, ubi tua nunc remunerantur merita, quidquam tibi denegabit ? Ora pro me , o S. Joseph , gratiamque impetra , imprimis ut peccata omnia serio detester et fugiam , præsertim ista NN., vitam in melius emendem , constanterque me virtutum studio impendam , præsertim istarum NN. Ab his NN. tentationibus et peccandi occasionibus quibus anima mea in periculum damnationis induci posset , et ab afflictione ac miseria hac N. (nisi divinæ id voluntati , meæque saluti

adversetur) liberer. In his tamen et aliis omnibus, totum me divino arbitrio et dispositioni, tuæque paternæ fidei, o S. Joseph, subjicio et committo. Amen.

V. ORATIO, PRO FELICI MORTE IMPETRANDA.

O S. Joseph, qui in suavissimo Jesu clientis tui, et dulcissimæ sponsæ tuæ Mariæ complexu ex hac vita emigrasti: succurre mihi, o S. Pater, cum Jesu et Maria, tunc potissimum, quando mors vitæ meæ finem imponet; illudque (quod unice peto) solatium mihi impetra, ut in iisdem sanctissimis Jesu et Mariæ brachiis expirem. In manus vestras vivens et moriens commendo spiritum meum, Jesu, Maria, Joseph.

Amen.

MANUALE PIETATIS.

PARS TERTIA.

EXERCITIA PIETATIS VARIA , QUÆ VEL
QUOTIDIE , VEL PRO DIVERSIS RERUM
TEMPORIBUS , AUT SINGULARI FIDELIUM
DEVOTIONE RECITARI CONSUEVERUNT.



XXII.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES.



PSALMUS. 1. POENIT.

* *Ant.* Ne reminiscaris.

PS. 6. EST PIA POENITENTIS PRECATIO.

Domine , ne in furore tuo arguas me ,
neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus
sum : * sana me, Domine, quoniam contur-
bata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde : * sed tu,
Domine , usquequo ?

Convertere, Domine, et eripe animam
meam : * salvum me fac propter misericor-
diam tuam.

Quoniam non est in morte , qui memor

sit tui : * in inferno autem quis confitebitur tibi ?

Laboravi in gemitu meo , lavabo per singulas noctes lectum meum : * lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus : * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem : * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam : * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei : * convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri.

PSALMUS II. POENIT.

PS. 31. BEATUS, QUI A PECCATO LIBER EST.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates : * et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir , cui non imputavit Dominus peccatum : * nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea : * dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua : * conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci : * et injustitiam meam non abscondi.

Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : * et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus , * in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum , * ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me : * exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac , qua gradieris : * firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, * quibus non est intellectus.

In camo et fræno maxillas eorum constringe, * qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris : * sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino , et exultate justi, * et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri.

PSALMUS III. POENIT.

PS. 37. DESCRIBITUR MISERIA PECCATORIS.

Domine, ne in furore tuo arguas me : * neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, *
et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ
tuæ : * non est pax ossibus meis a facie
peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ
sunt caput meum : * et sicut onus grave
gravatæ sunt super me.

Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices
meæ, * a facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, et curvatus sum usque
in finem : * tota die contristatus ingredie-
bar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusio-
nibus, * et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis : *
rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum :
* et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit
me virtus mea, * et lumen oculorum meo-
rum et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei : * adversum
me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe stete-
runt : * et vim faciebant qui quærebant
animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti
sunt vanitates, * et dolos tota die medita-
bantur.

Egò autem tamquam surdus non audiebam, * et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, * et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi: * tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei: * et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum, * et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, * et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: * et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: * quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus: * ne discesseris a me.

Intende in adiutorium meum, * Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri.

PSALMUS IV. POENIT.

PS. 50. EST PIA DAVIDIS POENITENTIS
ORATIO.

Miserere mei, Deus etc. *Vide pag. 78.*

PSALMUS V. POENIT.

PS. 101. ORATIO EST AD AVERTENDA PECCATI
MALA.

Domine , exaudi orationem meam , * et
clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me : * in qua-
cumque die tribulor , inclina ad me aurem
tuam.

In quacumque die invocavero te , * velo-
citer exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei,
* et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut fœnum, et aruit cor
meum : * quia oblitus sum comedere panem
meum.

A voce gemitus mei * adhæsit os meum
carni meæ.

Similis factus sum pelicano solitudinis :
* factus sum sicut nycticorax in domici-
lio.

Vigilavi : * et factus sum sicut passer
solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici
mei , * et qui laudabant me , adversum me
jurabant.

Quia cinerem tamquam panem mandu-
cabam , * et potum meum cum fletu misce-
bam.

A facie iræ et indignationis tuæ : * quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt ,
* et ego sicut fœnum arui.

Tu autem , Domine , in æternum permanes , * et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exurgens misereberis Sion : * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, * et terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum , Domine, * et omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion : * et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium , * et non sprevit precem eorum.

Scribantur hac in generatione altera :
* et populus qui creabitur , laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo :
* Dominus de cœlo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum , * ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini , * et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum , * et reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ : * paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum : * in generationem et generationem anni tui.

Initio tu , Domine , terram fundasti , * et opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes : * et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos , et mutabuntur : * tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt, * et semen eorum in sæculum dirigetur.

Gloria Patri.

PSALMUS VI. POENIT.

PS. 129. UT A CULPA ET POENA LIBEREMUR.

De profundis clamavi etc. *Vide pag. 35.*

PSALMUS VII. POENIT.

PS. 142. POENITENS A VIA PECCATI OPTAT REDUCI.

Domine, exaudi orationem meam : auri-
bus percipe obsecrationem meam in vir-
tute tua : * exaudi me in tua justitia.

Et non intres in iudicium cum servo
tuo : * quia non justificabitur in conspectu
tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam : * humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi : * et anxius est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum , meditatus sum in omnibus operibus tuis : * in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te : * anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me , Domine : * defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me : * et similis ero descendentibus in lacum.

Audiam fac mihi mane misericordiam tuam : * quia in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem : * quia ad te levavi anima meam.

Eripe me de inimicis meis , Domine , ad te confugi : * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Domine , vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam , * et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam : * quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

LITANIÆ OMNIUM SANCTORUM.

Kyrie, eleïson.

Christe, eleïson.

Kyrie, eleïson.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix,

Sancta Virgo virginum,

Sancte Michaël,

Sancte Gabriël,

Sancte Raphaël,

Ommes sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis.

Omnes SS. beatorum Spirituum ordines.
orate pro nobis.

Ora pro nobis.

Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.

Sancte Joseph,

Omnes SS. Patriarchæ et Prophetæ , orate
pro nobis.

Sancte Petre, ora pro nobis.

Sancte Paule,

Sancte Andrea,

Sancte Jacobe,

Sancte Joannes,

Sancte Thoma,

Sancte Jacobe,

Sancte Philippe,

Sancte Bartholomæe,

Sancte Matthæe,

Sancte Simon,

Sancte Thadæe,

Sancte Mathia,

Sancte Barnaba,

Sancte Luca,

Sancte Marce,

Omnes SS. Apostoli et Evangelistæ , orate
pro nobis.

Omnes SS. Discipuli Domini , orate pro
nobis.

Omnes SS. Innocentes, orate pro nobis.

Sancte Stephane, ora pro nobis.

Sancte Laurenti, ora pro nobis.

Sancte Vincenti, ora pro nobis.

Sancti Fabiane et Sebastiane, orate pro
nobis.

Ora pro nobis.

Sancti Joannes et Paule, orate pro nobis.
 Sancti Cosma et Damiane, orate pro nobis.
 Sancti Gervasi et Protasi, orate pro nobis.
 Omnes SS. Martyres, orate pro nobis.
 Sancte Silvester, ora pro nobis.
 Sancte Gregori,
 Sancte Ambrosi,
 Sancte Augustine,
 Sancte Hieronyme,
 Sancte Martine,
 Sancte Nicolae,
 Omnes SS. Pontifices et Confessores, orate
 pro nobis.
 Omnes SS. Doctores, orate pro nobis.
 Sancte Antoni, ora pro nobis.
 Sancte Benedicte, ora pro nobis.
 Sancte Bernarde, ora pro nobis.
 Sancte Dominice, ora pro nobis.
 Sancte Francisce, ora pro nobis.
 Omnes SS. Sacerdotes et Levitæ, orate pro
 nobis.
 Omnes SS. Monachi et Eremitæ, orate pro
 nobis.
 Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis.
 Sancta Agatha, ora pro nobis.
 Sancta Lucia, ora pro nobis.
 Sancta Agnes, ora pro nobis.
 Sancta Cæcilia, ora pro nobis.
 Sancta Catharina, ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Sancta Anastasia, ora pro nobis.

Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, orate pro nobis.

Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.

Propitius esto, parce nobis, Domine.

Propitius esto, exaudi nos, Domine.

Ab omni malo, libera nos, Domine.

Ab omni peccato,

Ab ira tua,

A subitanea et improvisa morte,

Ab insidiis diaboli,

Ab ira et odio, et omni mala voluntate,

A spiritu fornicationis,

A fulgure et tempestate,

A flagello terræ motus,

A peste, fame et bello,

A morte perpetua,

**Per mysterium sanctæ Incarnationis
tuæ,**

Per adventum tuum,

Per nativitatem tuam,

**Per baptismum et sanctum jejunium
tuum.**

Per crucem et passionem tuam,

Per mortem et sepulturam tuam,

Per sanctam resurrectionem tuam,

Per admirabilem ascensionem tuam,

Per adventum Spiritus sancti paracliti,

Libera nos, Domine.

In die judicii, libera nos , Domine.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut domnum Apostolicum , et omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris,
Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris semper eterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias,
Ut fructus terræ dare et conservare digneris ,

Te rogamus, audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.

Fili Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Kyrie, eleïson.

Christe, eleïson.

Kyrie, eleïson.

Pater noster.

v. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

PSALMUS 69.

**Deus in adiutorium meum intende : *
Domine, ad adjuvandum me festina.**

Confundantur et revereantur, * qui quærunt animam meam.

**Avertantur retrorsum, et erubescant, *
qui volunt mihi mala.**

**Avertantur statim erubescences, *
dicunt mihi : Euge, euge !**

**Exultent et lætentur in te omnes , qui
quæerunt te : * et dicant semper : Magnifice-
tur Dominus , 'qui diligunt salutare tuum.**

**Ego vero egenus et pauper sum : * Deus ,
adjuva me.**

**Adjutor meus et liberator meus es tu : *
Domine , ne moreris.**

Gloria Patri.

v. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus , sperantes in te.

**v. Esto nobis , Domine , turris fortitu-
dinis.**

R. A facie inimici.

v. Nihil proficiat inimicus in nobis.

**R. Et filius iniquitatis non apponat nocere
nobis.**

**v. Domine , non secundum peccata nos-
tra facias nobis.**

**R. Neque secundum iniquitates nostras
retribuas nobis.**

v. Oremus pro Pontifice nostro N.

**R. Dominus conservet eum , et vivificet
eum , et beatum faciat eum in terra , et non
tradat eum in animam inimicorum ejus.**

v. Oremus pro benefactoribus nostris.

**R. Retribuere dignare , Domine , omnibus
nobis bona facientibus propter nomen tuum
vitam æternam. Amen.**

v. Oremus pro fidelibus defunctis.

R. Requiem æternam dona eis , Domine,
et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

V. Pro fratribus nostris absentibus.

R. Salvos fac servos tuos, Deus meus ,
sperantes in te.

V. Mitte eis , Domine , auxilium de
sancto.

R. Et de Sion tuere eos.

V. Domine , exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus , cui proprium est misereri semper
et parcere, suscipe deprecationem nostram:
ut nos , et omnes famulos tuos, quos delictorum
catena constringit , miseratio tuæ
pietatis clementer absolvat.

Exaudi , quæsumus, Domine, supplicum
preces , et confitentium tibi parce peccatis:
ut pariter nobis indulgentiam tribuas be-
nignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine , misericor-
diam tuam clementer ostende : ut simul nos
et a peccatis omnibus exuas , et a poenis ,
quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia

placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice : et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ : ut, te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem : ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine : ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum : ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando proseguere : ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis; te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

v. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.

R. Amen.


v. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

XXIII.

PRECES

IN DIVERSIS TUM PUBLICIS; TUM PRIVATIS
NECESSITATIBUS USITANDÆ.



1. ORATIO PRO TEMPORE BELLII,
CONTRA INFIDELIS, HÆRETICOS, ALIOSQUE
ECCLESIAE PERTURBATORES.

Ant. Adjuva nos, Deus salutaris noster :
et propter gloriam nominis tui libera nos :
et propitius esto peccatis nostris propter
nomen tuum.

PS. 78. UT DEUS OPEN FERAT CONTRA HOSTEM.

Deus, venerunt gentes in hæreditatem
tuam, polluerunt templum sanctum tuum :
* posuerunt Jerusalem in pomorum custo-
diam.

Posuerunt morticina servorum tuorum,
escas volatilibus coeli : * carnes sanctorum
tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tamquam
aquam in circuitu Jerusalem : * et non erat
qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris :
 * subsannatio et illusio his, qui in circuitu
 nostro sunt.

Usquequo, Domine, irasceris in finem,
 * accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non
 noverunt : * et in regna, quæ nomen tuum
 non invocaverunt.

Quia comederunt Jacob : * et locum ejus
 desolaverunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum
 antiquarum, cito anticipent nos miseri-
 cordiæ tuæ : * quia pauperes facti sumus
 nimis.

Adjuva nos, Deus salutaris noster; et
 propter gloriam tuam nominis tui, Domine,
 libera nos : et propitius esto peccatis nostris,
 propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus : Ubi est Deus
 eorum? * et innotescat in nationibus coram
 oculis nostris.

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui
 effusus est : * introeat in conspectu tuo
 gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui, *
 posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in
 sinu eorum : * improprium ipsorum, quod
 exprobraverunt tibi, Domine.

Nos autem populus tuus , et oves pascuæ
tuæ, * confitebimur tibi in sæculum.

In generationem et generationem : * an-
nuntiabimus laudem tuam.

Gloria Patri.

Ant. Adjuva nos , Deus salutaris noster ;
et propter gloriam nominis tui libera nos ;
et propitius esto peccatis nostris propter
nomen tuum.

Kyrie , eleïson. Christe , eleïson. Kyrie ,
eleïson.

Pater noster.

v. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

v. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus , sperantes in te.

v. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.

R. Et de Sion tuere eos.

v. Nihil proficiat inimicus in nobis.

R. Et filius iniquitatis non apponat no-
cere nobis.

v. Non secundum peccata nostra facias
nobis.

R. Neque secundum iniquitates nostras
retribuas nobis.

v. Domine , exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors

Deus : ut sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

Hostium nostrorum, quæsumus, Domine, elide superbiam, et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne.

Ne despicias, omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem : sed propter gloriam nominis tui, tribulatis succurre placatus. Per Dominum.

R. Amen.

v. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

R. Amen.

v. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

ORATIO S. FRANCISCI XAVERII, PRO CONVERSIONE GENTILIIUM, HÆRETICORUM ET PECCATORUM.

Æterne rerum omnium effector Deus, memento abs te animas infidelium, hæreticorum et peccatorum procreatas, easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce, Domine, in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento, Jesum dilectum Filium tuum pro illarum salute atrocissimam subiisse necem. Noli quæso, Domine, ultra permittere, ut Filius

tuus ab infidelibus, hæreticis et peccatoribus contemnatur ; sed precibus sanctorum virorum., et Ecclesiæ sanctissimæ, Filii tui sponsæ, placatus, recordare misericordiæ tuæ, et oblitus idololatriæ, infidelitatis, contumaciæ et malitiæ eorum, effice ut ipsi quoque agnoscant, timeant ac diligant aliquando, quem misisti, Dominum nostrum Jesum Christum, qui est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus ; cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.



2. ORATIONES CONTRA PESTEM, ET QUOSVIS MORBOS CONTAGIOSUS.



I. ORATIO AD DEUM.

Recordare, Domine, testamenti tui, et die Angelo percutienti : Cesset jam manus tua, et non desoleatur terra, nec perdas omnem animam viventem.

v. Adjuva nos, Deus salutaris noster.

r. Et propitius esto peccatis nostris.

v. Domine, exaudi orationem meam.

r. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Preces populi tui , Domine , clementer exaudi , ut qui juste pro peccatis nostris affligimur , pro tui nominis gloria misericorditer liberemur.

Deus, qui non mortem , sed poenitentiam desideras peccatorum , populum tuum ad te revertentem propitius respice : ut dum tibi devotus existit , iracundiæ tuæ flagella ab eo clementer amoveas.

Da nobis, quæsumus , Domine, piæ supplicationis effectum , morbosque pestilentes a nobis propitius averte : ut mortalium corda cognoscant , a te indignante talia flagella prodire , et te miserante eadem cessare. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

H. ORATIO AD BEATAM VIRGINEM CONTRA
EOSDEM MORBOS.

Stella cœli extirpavit ,
Quæ lactavit Dominum ,
Mortis pestem , quam plantavit
Primus parens hominum.
Ipsa Stella non dignetur
Sidera compescere ,
Quorum bella plebem cædunt
Biro mortis ulcere.

Gloriosa Stella maris ,
 Summis digna laudibus,
 Non a peste tuearis,
 Et a mundi fraudibus.
 Medicina Christiana,
 Sanos serva , ægros sana ;
 Quod non valet vis humana ,
 Præstet tua gloria. Amen.

Dic ter :

Audi nos , Maria ,
 Nam Filius nihil negans te honorat:
 Salva nos , Messia,
 Pro quibus Virgo Mater te orat.

III. ORATIO AD EAMDEM BEATAM VIRGINEM.

Hæc est præclarum vas paracliti Spiritus sancti. Hæc est gloriosa civitas Dei. Hæc est mulier virtutis , quæ contrivit caput serpentis. Hæc est sole speciosior , luna pulchrior, aurora rutilantior, stellis præclarior. Hanc peccatores devote adæamus , rea pectora tundamus, dicentes : Sancta , Sancta , Sancta Maria , clemens et pia Domina nostra ; nos a peste et subitanea morte , et ab omni tribulatione sanctis tuis precibus liberatos , fac consortes cœlestis gloriæ.

v. In omni tribulatione et angustia nostra.

R. Succurre nobis, piissima Virgo Maria.

OREMUS.

Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui misertus es super afflictionem populi tui, et dixisti Angelo percussenti populum tuum: Sufficit nunc, contine manum tuam: ob amorem tuum, et glorio-sæ Matris tuæ, cujus ubera pretiosa, contra venenum delictorum nostrorum, dulciter suxisti; præsta auxilium gratiæ tuæ, ut ab omni pestifero morbo et improvisa morte liberemur, et a totius perditionis incursu salvemur, per te, o Jesu Christe, Salvator mundi, Rex gloriæ, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

IV. ORATIO AD SS. SEBASTIANUM, ROCHUM ET ANTONIUM.

O beati Sebastiane, Roche et Antoni, intercedite pro nobis ad Dominum Jesum Christum, ut a morbo epidemiæ, et ab omni infirmitate corporis et animæ libere-mur.

v. Orate pro nobis, beati Sebastiane, Roche et Antoni.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui meritis sanctorum tuorum Sebastiani, Rochi et Antonii ab epidemiæ morbo homines liberasti: præsta supplicibus tuis, ut qui pro simili gratia impetranda ad te confugimus, ipsorum intercessionem ab omni pestilentium morborum periculo eruamur. Per Dominum.

V. ORATIO AD DEUM CONTRA EOSDEM MORBOS.

Media vita, in morte sumus; quem quærimus adiutorem, nisi te, Domine, qui pro peccatis nostris juste irascaris? Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte immortalis, miserere nobis.

V. Converte nos, Deus salutaris noster.

R. Et averte iram tuam a nobis.

OREMUS.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, et populum tuum ab iracundiæ tuæ terroribus liberum, et misericordiæ tuæ fac largitate securum. Per Dominum.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

V. Divinum auxillium moneat semper nobiscum.

R. Amen.

3. ORATIONES

**CONTRA FULMINA , TONITRUA, VENTOS, IMBRES,
ALIASQUE ADVERSAS TEMPESTATES.**

Ant. Non accedat ad te malum.

Ps. 90. Qui habitat etc. *pag.* 180.

OREMUS.

A doma tua , quæsumus , Domine, spirituales nequitiae repellantur , et aerearum discedat malignitas tempestatum. Per Dominum.

CONTRA EASDEM TEMPESTATES.

Ant. Jesus Nazarenus.

Ps. 6. Domine, ne in furore tuo etc. *p.* 375.

Ant. Jesus Nazarenus , Rex Judæorum , titulus triumphalis , nos defendat et protegat. Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda, Radix David. Alleluia.

Kyrie , eleïson. Christe , eleïson. Kyrie , eleïson.

Pater noster.

v. Benedicamus Patrem , et Filium cum S. Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

ORENUS.

Ad te nos, Domine, clamantes exaudi, et æris serenitatem nobis tribue supplicanti-
bus : ut qui juste pro peccatis nostris affli-
gimur , misericordia tua præveniente, cle-
mentiam sentiamus. Per Dominum.

Tempore famis.

ORATIO.

Da nobis, quæsumus , Domine, piæ sup-
plicationis effectum, et famen propitiatus
averte : ut mortalium corda cognoscant , a
te indignante talia flagella prodire, et te
miserante cessare. Per Dominum.

Ad petendam pluviam.

ORATIO.

Deus, in quo vivimus, movemur et su-
mus, pluviam nobis tribue congruentem :
ut præsentibus subsidiis sufficienter ad-
juti, sempiterna fiducialius appetamus. Per
Dominum.

Ad petendam serenitatem.

ORATIO.

Ad te nos , Domine , clamantes , etc.
ut supra.

ORATIO PRO QUACUMQUE NECESSITATE.

Deus, refugium nostrum et virtus : ades-

to piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, et præsta : ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum.

4. THRENUS S. AUGUSTINI,

PRO PRIVATIS, ET PUBLICIS NECESSITATIBUS.

Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus, et plagas, quas accepimus, conferimus.

Si pensamus malum, quod fecimus; minus est, quod patimur; majus est, quod meremur.

Gravius est, quod commisimus: levius est quod toleramus.

Peccati poenam sentimus, et peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas nostra teritur et iniquitas non mutatur.

Mens ægra torquetur, et cervix non flectitur.

Vita in dolore suspirat, et in opere non emendat.

Si expectas, non corrigimur: si vindicas, non duramus.

Confitemur in correctione, quod egimus: obliviscimur post visitationem quod flevimus.

Si extenderis manum , facienda promittimus : si suspenderis gladium , promissa non solvimus.

Si ferias , clamamus ut parcas : si peperceris, iterum provocamus, ut ferias.

Habes , Domine, confitentes reos : novimus, quod nisi dimittas , recte nos perimas.

Præsta , Pater omnipotens , sine merito quod rogamus : qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent. Per Christum Dominum nostrum.

Amen.

v. Domine , exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus conculgi, quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti, et tot millium Martyrum intercessione tibi obligasti. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Amen.

3. INNOCENTII TERTII ORATIONES TRES PRO DEFENSIONE ET TRANQUILLITATE CATHO- LICÆ ET ORTHODOXÆ ECCLESIAE.

PRIMA ORATIO.

A cunctis nos quæsumus, Domine, mentis et corporis defende periculis, et intercedente beata et gloriosa Virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato N. et omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus et pacem: ut destructis adversitatibus et erroribus universis, Ecclesia tua secura tibi serviat libertate. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

SECUNDA ORATIO.

Exaudi nos salutaris noster, ut per Unigeniti Filii tui sacratissimæ passionis virtutem a cunctis nos mentis et corporis hostibus tuearis, gratiam tribuens in præsentī, et gloriam in futuro. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

TERTIA ORATIO.

Mundet et muniat nos, quæsumus, Domine, Unigeniti Filii tui pretiosissimus sanguis effusus et tibi oblatus in cruce; et

intercedente beata Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato N. et omnibus Sanctis, a cunctis nos reddas et perversitatibus expiatis, et adversitatibus expeditos. Per eundem Christum Dominum nostrum.

6. PRECES

ANTE ET POST EXERCITIA SPIRITUALIA CANTANDÆ.

—

ANTE EXERCITIA SPIRITUALIA.

Finita ultima strophæ Hymni Veni Creator, cantat Sacerdos :

- V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.
- R. Et renovabis faciem terræ.
- V. Cor mundum crea in me, Deus.
- R. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.
- V. Ne projicias me a facie tua.
- R. Et Spiritum sanctum ne auferas a me.
- V. Redde mihi lætitiā salutaris tui.
- R. Et spiritu principali confirma me.
- V. Domine, exaudi orationem meam.
- R. Et clamor meus ad te veniat.
- V. Dominus vobiscum.
- R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus innocentiae restitutor et amator, dirige ad te tuorum corda servorum, ut Spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces.

Illo nos igne, quæsumus, Domine, Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram, et voluit vehementer accendi.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humanæ fragilitatis infirmitatem agnoscis, respice, quæsumus, super nos famulos tuos, et larga tuæ benedictionis abundantia infirmitatem nostram roboras, ut vota nostra, quæ præveniundo aspiras, per auxilium gratiæ tuæ innovari facias, et sancte vivendo fidelius observari tribuas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

POST EXERCITIA SPIRITUALIA.

Finito Hymno Te Deum, cantat Sacerdos:

V. Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

V. Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus.

R. Populus quem elegit in hæreditatem sibi.

V. Manda Deus virtuti tuæ.

R. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

V. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ.

R. Et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

V. Unam petii a Domino, hanc requiram.

R. Ut inhabitem in domo omnibus diebus vitæ meæ.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad præmia futura disponas.

Da nobis, quæsumus, Domine, perseverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus nostris et merito et numero populus tibi serviens augeatur.

Proficiat, quæsumus, Domine, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu, ut sacris actionibus erudita, quanto Majestati tuæ sit gratior, tanto donis petioribus augeatur.

Gratia tua nos, quæsumus, Domine, non derelinquat, quæ et sacræ nos deditos faciat servituti, et tuam nobis opem semper acquirat.

Fideles tuos, Deus, benedictio desiderata confirmet, quæ eos et a tua voluntate nunquam faciat discrepare, et tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per Dominum nostrum.

XXIV.

PRECES.

IN DIVERSIS TUM ANIMÆ, CUM CORPORIS
NECESSITATIBUS USITANDÆ.

1. PRECES PRO ELIGENDO VITÆ STATU.

1. ORATIO, AD DEUM PATREM, PRO DIVINA
SAPIENTIA ET SPIRITU SANCTO IMPETRANDO.
Ex. Sap. 9.

Omnipotens æternæ Deus, qui fecisti omnia verbo tuo, et sapientia tua constituisti

hominem : mitte illam de sedibus sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Ser- sum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis, et sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris.

HYMNUS.

Veni, S. Spiritus etc. *Vide pag. 22.*

II. ORATIO, AD JESUM, QUA QUIS SE INDIFFE- RENTEM AD OMNES STATUS OFFERT.

Ecce, mi Jesu, ad omnes status indiffe-
rentem me tibi sisto; illum promptus am-
plectar ad quem te me vocaveris. Vis ut de
terra mea, de cognatione, de domo patris
exeam? paratum cor meum. Nec patria,
nec cognati, nec opes, nec voluptates me
tenebunt. Vis ut abdicatis omnibus in reli-
giosa paupertate, castitate et obedientia
tibi serviam? paratum cor meum. Vis me

in ecclesiastico statu vivere? paratum cor meum. Sed ad hunc, oro, neque viis illicitis me pervenire, neque turpiter in eo sinas vivere. Præpropera me potius morte ad te ex hoc mundo evoca. Vis ut cælibem in sæculo vitam, aut honestum conjugium subeam? Da ostensionem beneplaciti tui : paratum cor meum. Ad læta et tristia, ad suavia et aspera me offero. Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. *Luc. 22. 33.*

III. ORATIO, AD BEATAM VIRGINEM.

Ad te, o stella maris, inter instabiles hujus vitæ fluctus, oculos meos levo. Dirige, o Mater æternæ lucis, cor meum ad polum suum, Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, et deduc me ad talem vitæ statum, in quo eidem Filio tuo digne serviam, et denique optatum cœlestis patriæ portum obtineam. Amen.

Alias Orationes ad Beatam Virginem vide pag. 338.

IV. ORATIO, AD ANGELUM CUSTODEM.

O mi Angele, cujus tutelæ a Deo sum traditus; o dux et comes peregrinationis meæ, adesto mihi in gravissimo hoc salutis meæ negotio; ostende viam, quam eligam, ut finem meum, ad quem creatus sum, hoc

est, æternam beatitudinem, consequar, ut una tecum Deum meum æternum intueri et laudare merear. Amen.

Alias Orationes ad S. Raphaëlem et Angelum Custodem vide pag. 273 et seq.

V. ORATIO, PRO PERSEVERANTIA IN CONCEPTO BONO PROPOSITO.

O benignissime Deus, ostendisti mihi viam in qua ambulem, judicia tua et leges manifestasti mihi, nimirum in statu hoc.... me tibi vis servire : gratiam, oro, impetire, ut huic meo proposito constanter insistam, atque æternam salutem consequar. Amen.



2. ORATIONES DICENDÆ IN AFFLICTIONIBUS.

I. ORATIO.

Anl. Non accedat ad te malum.

PS. 90. DEO IN ADVERSIS FIDENDUM.

Qui habitat in adjutorio Altissimi : * in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum : * Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium : * et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi , et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus : * non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris : * ab incursu et dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille , et decem millia a dextris tuis : * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis , * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es , Domine, spes mea : * altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedat ad te malum , * et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te , * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te : * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis : * et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum : * protegam eum , quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : * cum ipso sum in tribulatione , eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum, * et ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri.

Ant. Non accedat ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie, eleïson.

Pater noster.

V. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice : ei flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per Dominum nostrum.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

V. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

R. Amen.

II. ORATIO.

O dulcissime Domine Jesu Christe, vere Deus, qui de sinu summi Patris omnipo-

tentis missus es in mundum peccata relaxare, afflictos redimere, in carcere positos solvere, dispersos congregare, peregrinos in suam patriam reducere, contritis corde misereri, dolentes et lugentes consolari: dignare, Domine Jesu Christe, absolvere et liberare me famulum tuum de afflictione et tribulatione, in qua positus sum. Et tu, Domine, qui genus humanum in quantum homo, a Deo Patre omnipotente in custodiam recepisti, et ex pietate tua, crudeli passione nobis paradisum pretioso Sanguine tuo mirabiliter mercatus es, et inter Angelos et homines pacem fecisti: tu, Domine Jesu Christe, digneris inter me et inimicos meos stabilire et confirmare concordiam et pacem, et gratiam tuam super me ostendere, et infundere misericordiam tuam; et omne odium et iracundiam inimicorum meorum, quam contra me habent, digneris extinguere et mitigare: sicut iracundiam et odium Esau abstulisti, quod habebat adversus Jacob fratrem suum; ita, Domine Jesu Christe, super me famulum tuum brachium tuum et gratiam tuam extendere, et me liberare digneris ab omnibus me odientibus. Et tu, Domine Jesu Christe, sicut liberasti Abraham de manibus Chaldæorum, et filium ejus Isaac de

immolatione sacrificii cum ariete, et Jacob de manu Esau fratris sui, et Joseph de manu fratrum suorum, Noë per arcam diluvii, et Loth de civitate Sodomorum, famulos tuos Moysen et Aaron, et populum Israël de manu Pharaonis, et de servitute Ægypti, David Regem de manu Saülis et Goliæ gigantis, Susannam de falso crimine et testimonio, Judith de manu Holofernis, Daniëlem de lacu leonum, tres pueros, Sidrach, Misach et Abdenago de camino ignis ardentis, Jonam de ventre ceti, et filiam Chananæ, quæ erat tormentata per diabolum, et Adam de profundo puteo inferni cum pretiosissimo Sanguine tuo, et Petrum de mari, et Paulum de vinculis; ita me famulum tuum, dulcissime Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, liberare digneris ab omnibus inimicis meis, et succurre in adjutorium meum, per sancta beneficia tua, per sanctam Incarnationem tuam, quam accepisti ut homo de Virgine Maria; per sanctam nativitatem tuam, per famem, per sitim, per frigus, per calores, per labores et afflictiones, per sputa, per alapas, per flagella, per clavos, per lanceam, per spinæ coronam, per potationem fellis et aceti, per sævissimam mortem crucis, per septem verba, quæ pendens in cruce di-

xisti , scilicet Deo Patri omnipotenti : Ignosce illis , quia nesciunt quid faciunt. Dixisti, Domine, latroni in cruce pendenti : Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Dixisti, Domine, Patri tuo : Eli, Eli, lamma sabachthani ? quod est interpretatum : Deus meus , Deus meus , ut quid dereliquisti me ? Dixisti , Domine , Matri tuæ : Mulier, ecce Filius tuus ; deinde discipulo : Ecce Mater tua ; ostendens curam te habere tuorum amicorum. Dixisti , Domine : Sitio ; scilicet salutem animarum sanctarum , quæ in limbo fuerunt , et nostram cupiendo. Dixisti, Domine, Patri tuo : In manus tuas commendo Spiritum meum. Dixisti , Domine : Consummatum est , significans labores et dolores, quos pro nobis miseris suscepisti , jam finiri. Propter hoc etiam rogo te, Redemptor, Domine Jesu Christe , ut me famulum tuum custodias ab hoste maligno, et ab omni periculo hic in præsentī , et in futuro. Defende me per descensionem tuam ad inferos, per sanctam resurrectionem tuam, et frequentem discipulorum tuorum consolationem, per admirabilem ascensionem tuam , per adventum Spiritus sancti paracliti, per diem tremendi judicii, per hæc omnia exaudi me, Domine. Et per cuncta beneficia tua , et etiam pro

cunctis beneficiis tuis mihi famulo tuo collatis : quia tu me fecisti ex nihilo : tu produxisti me : tu ad fidem sanctam tuam perduxisti me : et contra diaboli tentationem me præmunisti, vitam æternam promittendo. Propter ista et omnia alia , quæ oculus non vidit, nec auris audivit , nec in cor hominis ascenderunt , rogo te , dulcissime Domine Jesu Christe, ut ab omnibus periculis animæ et corporis pro tua pietate et misericordia me famulum tuum nunc et semper liberare digneris ; et post hujus vitæ cursum ad te Deum vivum et verum me perducere digneris. Qui vivis et regnas.

III. ORATIO DICENDA IN IMMODICA TRISTITIA.

Tristatur aliquis vestrum? Orat. Jac. 3. 13.

Succurre, benignissime Jesu : cor meum conturbatum est intra me ; dereliquit me virtus mea , tota die contristatus ingredior, quia longe facta est a me consolatio. Tecum , o Jesu, cogor exclamare : Tristis est anima mea usque ad mortem. Væ mihi quia peccavi , propterea moestum factum est cor meum. Peccavi, fateor , impie egi, inique gessi. Domine Deus meus, in omnibus justitiis tuis avertatur , obsecro, ira tua a me ; vide humilitatem meam, et dimitte omnia peccata mea. Per omnes

angores et tristitias tuas, pie Jesu, quibus cor tuum in horto, et in ara crucis coangustatum est, te supplex oro, ut mihi in hoc statu subvenire digneris, nec in æternum me a te separari permittas. Mihi adhærere tibi Deo meo bonum est; et ponere in te Domino spem meam. Amen.

IV. ORATIO DICENDA IN VEHEMENTIBUS CORPORIS DOLORIBUS.

Angustiae et dolores tenuerunt me, Domine Jesu: multi sunt gemitus mei. Ne avertas aurem tuam a singultu meo, et clamoribus; parce, ah! parce imbecillitati meae; tu enim languores nostros ipse tulisti et dolores nostros ipse portasti; livore tuo sanati sumus. Sana animam et corpus meum, ne te umquam, vehementia dolorum superatus, offendam. Amen.

V. ORATIO ECCLESIAE PRO INFIRMO.

Deus, infirmitatis humanæ singulare praesidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum N. ostende virtutem: ut ope misericordiae tuae adjutus, Ecclesiae tuae sanctae incolumis repraesentari mereatur. Per Dominum.

Si pro teipso, vel pro uno, aut pluribus hanc Orationem dicis, personas, genera et

tempora muta. Idem in sequenti Oratione faciendum.

VI. ORATIO ECCLESIAE PRO INFIRMO , QUI VICINUS MORTI ESSE VIDETUR.

Omnipotens et misericors Deus, qui humano generi et salutis remedia et vite æternæ munera contulisti : respice propitius famulum tuum N. infirmitate corporis laborantem, et animam refove , quam creasti ; ut in hora exitus illius, absque peccati macula, tibi Creatori suo, per manus sanctorum Angelorum repræsentari mereatur. Per Dominum.

VII. ORATIO AD SPEM EXCITANDAM CONTRA DESPERATIONEM. S. August. cap. 13. Med.

Peccavi, Domine , peccatum grande ; et multorum sum mihi conscius delictorum ; sed nec sic despero , quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit et gratia. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat te Deum esse misericordem. Magnam injuriam tibi facit, qui de tua misericordia diffidit. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors tua , Domine Jesu , in mentem meam venerit. Clavi et lancea clamant mihi, quod tibi reconciliatus sum, si te amavero. Longinus aperuit mihi latus tuum , et ego intravi , et ibi requiesco se-

curus. Nullum tam potens amoris erga te incitamentum est, quam mors tua, mi Jesu, qua me redemisti. Inclinas caput tuum in morte, ut osculum mihi, quamvis peccatori, des : extendis brachia tua in cruce , et expandis manus tuas, paratus in amplexus meos. Inter brachia tua et vivere volo , et mori cupio. Amen.

VIII. ORATIO S. THOMÆ AQUINATIS, QUA VIRTUTES CHRISTIANI HOMINIS PETUNTUR.

Concede mihi, misericors Deus, quæ tibi placita sunt, ardentè concupiscere , prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere. Ad laudem et gloriam Nominis tui, ordina statum meum ; et quod a me requiris ut faciam , tribue ut sciam ; et da exequi sicut oportet, et expedit animæ meæ. Da mihi, Domine Deus meus, inter prospera et adversa non deficere, ut in illis non extollar , in istis non deprimar. De nullo gaudeam vel doleam , nisi quod ducat ad te , vel abducat a te : nulli placere appetam , vel displicere timeam , nisi tibi. Vilescent mihi , Domine , omnia transitoria, et chara mihi sint omnia tua propter te , et tu , Deus, plus quam omnia. Tædeat me gaudii quod est sine te , nec aliquid cupiam quod est extra te. Delectet

me, Domine, labor qui est pro te, et tædiosa sit mihi omnis quies, quæ est sine te. Frequenter da mihi, Domine, cor ad te dirigere, et in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, obedientem sine contradictione, pauperem sine defectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, timentem sine desperatione, veracem sine duplicitate, operantem bona sine præsumptione, proximum corrigere sine elatione, ipsum ædificare verbo et exemplo sine simulatione. Da mihi, Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducat a te curiosa cogitatio: da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio: da invictum, quod nulla frangat tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vindicet perversa et violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quærentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te fideliter expectantem, et fiduciam te finaliter amplectentem. Da tuis poenis configi per poeniten-

tiam, tuis beneficiis uti in via per gratiam,
et tandem tuis gaudiis in patria perfrui per
gloriam. Per Dominum nostrum Jesum
Christum Filium tuum, qui tecum vivit et
regnat in sæcula sæculorum. Amen.

IX. PIÆ PETITIONES S. AUGUSTINI TARDE ET
CUM ALIQUA CONSIDERATIONE RECITANDÆ.

Domine Jesu, noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam nisi te.

Oderim me, et amem te.

Omnia agam propter te.

Humiliem me, exaltem te.

Nihil cogitem nisi te.

Mortificem me, et vivam in te.

Quæcumque eveniant accipiam a te.

Persequar me, sequar te:

Semperque optem sequi te,

Fugiam me, confugiam ad te,

Ut merear defendi a te.

Timeam mihi, timeam te,

Et sim inter electos a te.

Diffidam mihi, fidam in te.

Obedire velim propter te.

Ad nihil afficiar, nisi ad te,

Et pauper sim propter te.

Aspice me, ut diligam te.

Voca me, ut videam te.

Et in æternum fruam te.

Amen.

X. ORATIO S. FRANCISCI ASSISII.

Absorbeat, quæsumus, Domine Jesu Christe, mentem meam ignita et melliflua vis amoris tui ab omnibus, quæ sub cælo sunt, ut amore amoris tui mundo moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno crucis mori. Qui vivis.

XI. ORATIO UNIVERSALIS PRO QUALIBET RE
A DEO IMPETRANDA.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: en ego peccator (qui tamen ex intimo corde nunc doleo, quod clementissimum Patrem meum umquam offenderim) cum filiali fiducia, infinitam Majestatem tuam supplex accedo: ne, quæso, me, quem ex infinita potentia tua ex nihilo creasti, ex summo amore in filium et hæredem cœlestis gloriæ adoptasti, ex immensa bonitate per mortem unigeniti et æterni Filii tui, ab æterna damnatione liberasti; ne, obsecro, me, cui hæc omnia licet indignissimo præstitisti, a facie tua repellas. Per ineffabilem misericordiam tuam, qua gravissimos etiam peccatores vere contritos in momento ex abyssu omnium scelerum extraxisti: per merita dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu

Christi : per ardentissimam Spiritus sancti charitatem , qua te Patrem cum Filio complectitur ; per beatissimam Virginem Mariam, a te in Filiam, a Filio tuo in Matrem, a Spiritu sancto in Sponsam ab æterno electam et præordinatam : per omnium denique Angelorum et Sanctorum merita ac laudes suppliciter oro , ut miserearis mei , tuamque ad preces meas aurem inclines. O clementissime Pater, aperi thesauros inexhaustæ bonitatis tuæ, meque infinitæ liberalitatis tuæ fac esse participem. Hoc peto...

Hic aut mente , aut verbis tibi vel aliis aliquid dari a Deo, vel ab aliquo malo liberari pete.

Converte, quæso, Domine , benignitatis tuæ mitissimos oculos ad me , licet indignissimam creaturam tuam , et esto propitius supplicationibus meis. Iterum te , Domine Deus meus , per omnia quæ in cœlo , et in terra tibi chara sunt , suppliciter oro, ut, quod peto , benigne mihi largiaris. Amen.

Si id, quod petis , per se bonum ac pium sit, hic finienda est oratio : si vero indifferens, hoc est, neque bonum neque malum , qualis est prospera valetudo , scientia , honor, pax, secunda fortuna, adde quod sequitur :

Per eandam bonitatem ac clementiam tuam, o Deus, humiliter oro, ut, si, quod peto, voluntati tuæ adversetur, ne id mihi largiaris. Unice volo, mi Deus, quod tu vis: et quod tu non vis, id ego unice nolo. Scio, o Bonitas, scio, id mihi solum obesse quod tibi non placet, omne vero bonum meum in tuo esse beneplacito. Non ergo mea. Domine, non mea, sed tua in omnibus sanctissima voluntas fiat. Amen.

XXV.

ORATIONIS DOMINICÆ

ET SALUTATIONIS ANGELICÆ PARAPHRASES.
MENSIS MARIANUS. PRÆGES QUÆDAM PECULIARES, QUIBUS ANNEXÆ SUNT INDELGENTIÆ.

ORATIONIS DOMINICÆ PARAPHRASIS.

Cum orationum omnium absolutissimum exemplar sit Oratio Dominica, quæ comprehendit quidquid nos Deus a se postulare cupit, dignitate etiam, utpote quam Christus ipse nos docuit, omnes precandæ formulas antecellat, operæ pretium etiam hic paraphrastice deductam proponi.

Præfatiuncula. Pater noster amantissime, qui tua nos bonitate ex nihilo ad imaginem et similitudinem tuam creasti: lapsosque ab æterna dampnatione per Unigenitum tuum redemisti, et in filios adoptionis assumere dignatus es: qui nos plus quam paterno affectu in hunc usque diem prosequeris. Utinam te Patrem ita amemus et colamus, ut vere tui filii appellari mereamur.

Qui es in cœlis, secundum gloriam et magnificentiam tuam: ubi millia millium Angelorum tibi ministrant, et decies milles centena millia tibi assistunt. At nos exules filii tui in hac lacrymarum valle errabundi vagamur, et ad te clamamus gementes et flentes. Eia ergo, Pater noster, qui es in cœlis, vota et desideria tuorum filiorum clementer exaudi, et corda nostra ad te sursum trahe, ut conversatio nostra apud te sit in cœlis.

1. *Petitio.* Sanctificetur (quod unice optamus) *nomen tuum* in nobis, quod in se sanctum et gloriosum est, gratiamque largire, ut omni loco et tempore illud agnoscamus, veneremur et celebremus; a solis enim ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.

2. *Adveniat* in corda et animos nostros

regnum tuum, procul inde pulsus carne , mundo et diabolo. Regnum hoc tuum gratiæ est , per quod ad gloriæ tuæ regnum transire anhelamus.

3. *Fiat voluntas tua*, qua nihil sanctius, nihil optabilius excogitari potest , *sicut in cælo* inter Angelos et Electos tuos, cum summo omnium gaudio et complacentia ; *ita et in terra* inter homines cum perfectissima resignatione tam in adversis quam prosperis, tam in tristibus quam lætis. Dispareat quidquid tuæ voluntati adversatur.

4. *Panem nostrum quotidianum* non illum solum, quo corpus alitur , sed et illum quo anima pascitur, videlicet verbum tuum vivificum , et panem Angelorum *da nobis hodie*. Respice , o Pater , paupertatem tuorum filiorum, nec ullo die illius inopia nos premat.

5. *Et dimitte nobis*, benignissime Pater , immensa *debita nostra*, plurimis gravissimisque peccatis et negligentis nostris contracta, quibus neque nos, neque ulla creatura solvendis sufficit. Quamobrem infinitam misericordiam tuam pro illorum remissione supplices imploramus , ut illa nobis dimittas : *sicut et nos vicissim dimittimus* amore tui *debitoribus nostris* , a quibus umquam læsi sumus. Tu, clemen-

tissime Pater, reluctantem cordis nostri duritiem et acerbitem emolli, ut omnes in sancto charitatis tuæ Spiritu arctissime jungamur.

6. *Et ne nos fragilia vasa inducas in tentationem*, cui facile succumberemus. Blanditur caro, sollicitat mundus, impugnat diabolus: a te, Pater, nos conantur abstrahere. Tu solus refugium es nostrum et virtus: ne, obsecro, patiaris tentari nos supra id, quod possumus.

7. *Sed libera nos a malo*, tum animæ, tum corporis, cujus non est numerus. Imprimis vero libera nos a malo culpæ, quo tu, Deus, summum bonum nostrum offenderis. Libera nos quoque (si ad tuam gloriam, nostramque salutem cedat) a malo pœnæ, nimirum tristitia, ignominia, bello, fame, morbo, egestate, et quidquid ejusmodi peccata nostra merentur; eorumque nos tandem consortio adscribe, qui te summo bono æternum in cœlo perfruuntur. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum!

Amen, hoc est, fiat, o Pater, quod petimus, per viscera misericordiæ tuæ, per merita Filii tui, per amorem Spiritus sancti.

2. SALUTATIONIS ANGELICÆ PARAPHRASIS.

Ave, gaude et lætare , o cœlorum Regina et terrarum Domina, *Maria*. O lætum diuque exoptatum Ave , per quod Eva inversa est: hæc maledictionem ipsamque mortem: tuum Ave, o Maria! benedictionem vitamque mundo sempiternam invexit.

Gratia plena , in quam immensum gratiarum mare se totum effudit. O gratiæ affluentia! quæ cœlis gloriam, terris Deum, salutem attulit hominibus. Fac, o Mater gratiæ , ut gratiæ tuæ abundantia in cor meum redundet.


Dominus tecum, quali modo cum nullo umquam hominum aut Angelorum fuit. Pater coelestis tecum est, qui Filium suum facit et tuum : Filius tecum est , qui virginem tuam carnem æterno sibi vinculo conjungit ; Spiritus sanctus tecum est, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum. Tua, o Maria, intercessione impetra , ut idem Dominus mecum sit.

Benedicta tu in mulieribus , quæ omnis maledictionis mulierum expers fuisti; Virgo concepisti ; sine dolore peperisti. Mater generis nostri salutem attulisti mundo: auctrix peccati Eva, auctrix meriti tu es,

o Maria. Eva occidendo obfuit, tu vivificando profuisti; illa percussit; tu sanasti. Te supplex oro, o benedicta inter mulieres, ut tuæ benedictionis participem me facias.

Et benedictus fructus ventris tui, qui omnis benedictionis fons est. O Virgo benedicta! quis dignas tuis meritis gratias ac laudes referat? quæ illum mundo peperisti, in quo benedicuntur omnes gentes: bonitatis tuæ abundantia officii nostri defectus excuset, ac suppleat. Fac insuper, o inventrix gratiæ, o genitrix vitæ, o mater salutis, ut qui per te nostræ carnis ac miseriæ voluit esse particeps, per te quoque benedictionis suæ in præsentī, et gloriæ in futuro nos faciat participes Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat.

S. Maria, etc.



3. * MENSIS MARIANUS SEU MENSIS MAIUS.

Devotio mensis Mariani, quæ exordium sumpsit in Italia, jam a fine seculi decimi octavi per totum orbem catholicum propagari cœpit; hodie autem tantos omnis ge-

neris gratiarum , veræque pietatis fructus in familiis christianis producit , ut pergratum fuerit in hoc manuali fidelium libro reperire , quomodo amœnus ille mensis cultui beatæ Mariæ Virginis specialiter dedicatus , optime ab ipsis sanctificari queat.

Primum quidem in iis locis ubi hoc pietatis exercitium in publico fidelium cœtu celebrari solet , expedit , ut nosmetipsi illud publice frequentemus , et ab aliis , maxime vero ab iis qui aliqua obedientiæ ratione nobis sunt obstricti , frequentandum curemus. Quod si pro tempus huic nostræ devotioni satisfacere non liceat , id saltem nobis curæ sit , ut ne una quidem dies eo mense prætereat , quin vel soli , vel potius etiam cum tota familia , beatam Mariam Virginem peculiaribus quibusdam amoris filialis et reverentiæ signis honoremus. Hac autem ratione id plurimum fieri solet :

1. Sacrificio Missæ quotidie , si fieri possit , assistitur in honorem beatæ Mariæ Virginis.

2. Rosarium vel aliqua ejus pars quotidie recitatur. *Vide pag. 353.*

3. Singulis diebus fit lectio spiritualis de vita , virtutibus , misericordia , potentique Virginis Mariæ apud Filium suum intercessione.

4. Quotidie dicuntur Litanie beatæ Mariæ Virginis. *Vide pag. 218.*

5. Semel ut minimum eo mense instituitur Confessio sacramentalis et sacra Communio.

Mense Maio sic aliave quadam ratione, in honorem beatæ Mariæ Virginis transigendo lucrari poteris singulis diebus semel tercentos dies indulgentiarum, et semel indulgentias plenarias eo mensis die quem elegeris, dummodo confessus et sacra Communionem refectus secundum consuetos Ecclesiæ fines oraveris. Eæ indulgentiæ animabus in Purgatorio detentis applicari queunt. (Pius VII, 21 mart. 1815.)



4. PRECES QUÆDAM PECULIARES,
QUIBUS PLURIMÆ ANNEXÆ SUNT INDULGENTIÆ.

* TRISAGIUM.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: plena est terra gloria tua. Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto.

ORATIO A VENERABILI CAPITULO S. PETRI ROMÆ
SINGULIS DIEBUS SABBATI RECITARI SOLITA.

OREMUS.

* Pietate tua, quæsumus, Domine, nos-

trorum solve vincula peccatorum, et intercedente beata semperque Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, nos famulos tuos et loca nostra in omni sanctitate custodi; omnes consanguinitate, affinitate, ac familiaritate nobis conjunctos a vitiis purga, virtutibus illustra; pacem et salutem nobis tribue; hostes visibiles et invisibiles remove; carnalia desideria repelle; aerem salubrem indulge; amicis et inimicis nostris charitatem largire. Urbem tuam custodi; Pontificem nostrum N. conserva; omnes praelatos, principes cunctumque populum christianum, ab omni adversitate defende. Benedictio tua sit super nos semper, et omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede; per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO JACULATORIA.

* Fiat, laudetur atque in æternum superexaltetur justissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus.

LAUS JESU CHRISTI.

* Quotiescumque alter alterum soluta-verit, prior dicendo: Laudetur Jesus Christus! alter respondendo: Amen, vel in sæcula, vel semper, lucrabuntur ambo

indulgentias centum dierum. (Sixtus V, 15
jul. 1587.)

ORATIO IN HONOREM PASSIONIS ET MORTIS
D. N. J. C.

OREMUS.

* Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judæis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibis exui, cruci clavibus affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari; tu, Domine, per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam libera me (*vel* hunc famulum tuum N. agonizantem, *vel* hanc famulam tuam N. agonizantem) a pœnis inferni, et perducere digneris quo perduxisti latronem tecum crucifixum; qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas. Amen.

Tum recitetur quinquies Pater, Ave et Gloria Patri.

**ORATIO ANTE SANCTISSIMUM EUCHARISTIÆ
SACRAMENTUM FUNDENDA.**

* **Respice, Domine, de sanctuario (*Dent.* 26. 15.), et de excelso cœlorum habitaculo, et vide hanc sacrosanctam Hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster sanctus puer tuus Dominus Jesus pro peccatis fratrum suorum; et esto placabilis super multitudinem malitiæ nostræ. Ecce vox sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de cruce. Exaudi, Domine (*Dan.* 9. 19); placare, Domine, attende et fac: ne moreris propter temetipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem istam et super populum tuum; et fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Amen.**

HYMNUS

IN HONOREM S. MICHAELIS.

* **Te, splendor et virtus Patris,
Te, vita, Jesu, cordium,
Ab ore qui pendent tuo,
Laudamus inter Angelos,
Tibi mille densa millium
Ducum corona militat:
Sed explicat victor Crucem
Michaël salutis signifer.**

Draconis hic dirum caput
In ima pellit tartara,
Ducemque cum rebellibus
Cœlesti ab arce fulminat.

Contra ducem superbiæ
Sequamur hunc nos principem,
Ut detur ex Agni throno
Nobis corona gloriæ.

Patri, simulque Filio,
Tibique, sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæclum per omne gloria.

Amen.

Ant. Princeps gloriosissime, Michaël archangele, esto memor nostri, hic est ubique semper precare pro nobis Filium Dei. Alleluia, alleluia.

v. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. Alleluia.

R. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui miro ordine, Angelorum ministeria hominumque dispensas : concede propitius ; ut a quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum.

**PIUM EXERCITIUM AD REPARANDAS INJURIAS
BEATÆ MARIÆ VIRGINI ET SANCTIS ILLATAS.**

MANE.

* Salve, Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus exules, filii Evæ. Ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria !

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

V. Benedictus Deus in Sanctis suis.

R. Amen.

VESPERI.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

V. Benedictus Deus in Sanctis suis.

R. Amen.

ORATIO IN HONOREM S. JOSEPHI, SPONSI B.M.V.

* Virginum custos et pater, sancte Jo-

seph, cujus fideli custodiæ ipsa innocentia
Christus Jesus, et Virgo Virginum Maria
commissa fuit : te per hoc utrumque
charissimum pignus, Jesum et Mariam ob-
secro et obtestor, ut me ab omni immun-
ditia præservatum, puro corde et casto
corpore, Jesu et Mariæ semper facias cas-
tissime famulari. Amen.

ANTIPHONA, VERSUS ET ORATIO ANTE MISSÆ
CELEBRATIONEM IN HONOREM SANCTI JO-
SEPHI, SPONSI B. M. V.

* *Ant.* O felicem virum, beatum Joseph,
cui datum est Deum, quem multi reges
voluerunt videre et non viderant, audire et
non audierunt; non solum videre et audire,
sed portare, nutrire, deosculari, vestire et
custodire.

V. Ora pro nobis, beate Joseph.

R. Ut digni efficiamur promissionibus
Christi.

OREMUS.

Deus, qui dedisti nobis regale sacerdo-
tium, præsta, quæsumus, ut sicut beatus
Joseph Unigenitum tuum, natum ex Maria
Virgine, suis manibus reverenter tractare
meruit et portare : ita nos facias cum cor-
dis munditia et operis innocentia tuis sanc-
tis altaribus deservire, ut sacrosanctum

Filii tui Corpus et Sanguinem hodie digne sumamus, et in futuro sæculo præmium habere mereamur æternum. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum.

**ORATIO AD SACRUM COR BEATÆ Mariæ
VIRGINIS.**

* O Cor Mariæ, genitricis Dei, ac Matris nostræ; Cor amore dignissimum, in quo sibi sanctissima Trinitas bene complacuit; Cor ab Angelis et hominibus amandum et colendum; Cor simillimum sacrosancto Jesu Cordi, cujus imaginem refers longe perfectissimam; Cor Mariæ, sedes clementiæ; plenum visceribus misericordiæ erga nos miseros! Tu, precor, e cordibus tuorum frigus expelle; fac, ut nihil deinceps cogitent, nihil diligant, nihil cupiant, præter unum Cor Christi Jesu! Inse-
re pectoribus nostris amorem tuarum virtutum, et in eis flammam indesinentis tuæ charitatis accende. Ecclesiæ semper invigila, Ecclesiam tuere; sis fidelibus christianis dulce refugium, sis turris inexpugnabilis, in qua contra hostium aggressiones sedeant securi. Per te, o Cor Mariæ, accessum habeamus ad Filium; per te gratias obtineamus necessarias ad æternam salutem. In angustiis et necessitatibus nos adjuva,

mœstos solare , tentatos roborare , in persecutionibus sis nobis refugium , et auxilium in periculis ; sed præsertim in hora mortis, in novissimo vitæ agone, quum infernæ potestates in nos irruent, ut animam rapiant ; in illa terribili die et tremenda hora a qua pendet nostra æternitas. Tum , o Virgo clementissima, fac servos tuos bonitatem materni tui cordis sentire ; esto, quæsumus , tunc memor potentiæ , quam tibi dedit qui ex te natus est Salvator mundi. Da nobis in ipso fonte misericordiæ tutissimum refugium , ut sic aliquando tecum in cœlis laudare mereamur Cor sacratissimum Filii tui, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Cor divinum Jesu , et Cor immaculatum Mariæ semper et ubique agnoscantur, laudentur, benedicantur, amentur, fideliter colantur et glorificentur. Amen.

ORATIO AD IMPETRANDAM BONAM MORTEM.

* O Maria sine labe concepta, ora pro nobis, qui confugimus ad te, o refugium peccatorum, mater agonizantium ; noli nos derelinquere in hora exitus nostri , sed impetra nobis dolorem perfectum, sinceram contritionem , remissionem peccatorum nostrorum, sanctissimi viatici dignam re-

ceptionem, extremæ unctionis sacramenti corroborationem quatenus securi præsentari valeamus ante thronum justi, sed et misericordis judicis, Dei, et Redemptoris nostri. Amen.

Huic orationi adnexæ sunt indulgentiæ centum dierum. (*Decretum 11 martis 1856*).

XXVI.

PRECES STATIONUM. ITINERARIUM.

PRECES AGROTANTIUM, ETIAM A SANO QUOVIS
SÆPIUS RECITANDÆ.

* 1. PRECES STATIONUM,

ET SUSPIRIA AMANTIS ANIMÆ, CHRISTI CRUCEM
BAJULANTIS ET EJUS VESTIGIIS INSISTERE
CUPIENTIS, QUÆ NON MODO IN QUADRAGE-
SIMA, VERUM QUOVIS ANNI TEMPORE, DOMI AC
IN TEMPLO, DISTRIBUTIS PER ALTARIA VEL
ICONES LOCIS, PIË PERSOLVENTUR.

*Observandum, ad lucrandas indulgentias
pientissima Viæ Crucis exercitio annexas,
nullas preces speciatim indicari. Itaque
neque illæ etiam preces quas ubique, fere
recitant, sunt necessariae. Quum tamen*

facilem præbeant modum obeundi Viam Crucis, eas hic descriptas volumus.

Primum fit oratio præparatoria; tum ad singulas stationes dicitur:

V. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

R. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Hic pro sua quisque facultate tantisper meditatur de passione et morte D. N. J. C., quæ conditio necessario requiritur.

Tum dicitur Pater, Ave, Gloria Patri.

V. Miserere nostri, Domine.

R. Miserere nostri.

V. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

ALTER MODUS.

ORATIO PRÆPARATORIA.

Suscipe, S. Trinitas, hoc servitutis meæ obsequium, quod ad divinæ Majestatis tuæ gloriam et recognitionem redemptionis nostræ, pro satisfactione peccatorum meorum, ad impetrandam defunctis requiem, vivisque gratiam et omnibus gloriam, offero, in unione meritorum Domini nostri Jesu Christi, B. Virginis et omnium Sanctorum. Tibi laus, honor et gloria, o beata Trinitas, in sempiterna sæcula. Amen.

I. STATIO.

UBI CHRISTUS MORTI ADJUDICATUR.

*Iniquum hoc judicium lubens ille subiit,
ut te ab æternæ damnationis sententia
absolveret.*

Ant. Dixerunt impii apud se non recte cogitantes : Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris : promittit se scientiam Dei habere , Filium Dei se nominat; videamus si sermones illius veri sunt. Et si est vere Filius Dei , liberet eum de manibus nostris : morte turpissima condemnemus eum.

Kyrie, eleïson. Christe , eleïson. Kyrie, eleïson.

Pater noster. Ave Maria.

v. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

R. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

v. Oblatus est , quia ipse voluit.

R. Et non aperuit os suum.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui de cœlis ad terram de sinu Patris descendisti, et Sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti : te humili-

ter deprecamur, ut in die iudicii ad dexteram tuam audire mereamur : Venite, benedicti. Qui vivis et regnas, cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

v. Sanctus Deus, sanctus fortis', sanctus immortalis.

R. Miserere nobis.

v. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

v. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

II. STATIO.

UBI CHRISTO CRUX IMPONITUR.

*Supra dorsum meum fabricaverunt
peccatores. Ps. 128.*

Ant. Ave, Rex noster : tu solus nostros miseratus errores, Patri obediens ductus es ad crucifigendum, ut agnus mansuetus ad occisionem. Tibi gloria, Hosanna : tibi triumphus et victoria, tibi summæ laudis et honoris corona.

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie, eleïson.

Pater noster. Ave Maria.

v. Disciplina pacis nostræ super eum.

R. Et livore ejus sanati sumus.

v. Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.

R. Propter scelus populi sui percussit eum.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, etc: pag. 444.

III. STATIO.

UBI PRIMUM CHRISTUS SUB CRUCE CECIDIT.

Quantum pondus est peccatorum nostrorum, cui ille succubuit, qui omnia portat verbo virtutis suæ.

Ant. Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave Maria.

v. Vere languores noster ipse tulit.

R. Et dolores nostros ipse portavit.

v. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

R. Attritus est propter scelera nostra.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, etc. pag. 444.

IV. STATIO.

UBI MARIA CUM S. JOANNE OBVIAT CHRISTO.

Quam acerbo doloris gladio cor Matris, et cor amantissimi discipuli vulneratum fuerit ad hunc Jesu conspectum! Quem in te compassionis dolorem sentis?

Ant. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam. Defecerunt præ lacrymis oculi mei: conturbata sunt omnia viscera mea: effusum est in terra jecur meum, super contritione Filii mei, quoniam prævaluit inimicus.

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie, eleïson.

Pater noster, Ave Maria.

v. Magna est velut mare contritio tua.

R. Quis medebitur tui?

v. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.

R. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, etc. *pag. 444.*

V. STATIO.

UBI SERMONI CYRENÆO CRUX IMPONITUR.

*Coactus hic crucem post Jesum portavit ;
quanto merito portasset sponte ! Quæ tua
est promptitudo ad ferendam crucem
Christi.*

Ant. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi , in quo est salus , vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus.

Kyrie , eleïson. Christe , eleïson. Kyrie , eleïson.

Pater noster. Ave Maria.

v. Mihi autem absit gloriari , nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.

R. Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

v. Crux fidelis , inter omnes arbor una nobilis.

R. Nulla sylva talem profert , fronde, flore , germine.

v. Domine , exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, etc. *pag. 444.*

VI. STATIO.

UBI VERONICA CHRISTO OBVIAT.

*Quam præclarum illa speculum a Christo
obtinuit ! In hoc te semper contemplare.*

Ant. Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem, despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus, unde nec reputavimus eum. Inglorius est inter vivos aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum, ipse autem est speciosus forma præ filiis hominum, cujus livore sanati sumus.

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie, eleïson.

Pater noster. Ave Maria.

v. Domine Deus virtutum, converte nos.

R. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

v. Ne avertas faciem tuam a nobis.

R. Et ne declines in ira a servis tuis.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, etc. pag. 444.

VII. STATIO.

UBI CHRISTUS SUB JUDICIARIA PORTA CECIDIT.

*Quomodo tu in judicio extremo
subsistes?*

Ant. Tradiderunt me in manus impiorum, et inter iniquos projecerunt me, et non pepercerunt animæ meæ: congregati sunt adversum me fortes, et sicut gigantes steterunt contra me, terribilibus oculis intuentes, et plaga crudeli percutientes subannaverunt me.

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie, eleïson.

Pater noster. Ave Maria.

V. Ego autem sum vermis, et non homo.

R. Opprobrium hominum, et abjectio plebis.

V. Omnes videntes me deriserunt me.

R. Locuti sunt labiis et moverunt caput.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, etc. pag. 444.

VIII. STATIO.

UBI MULIERES CHRISTUM DEPLORANT.

Ubi sunt lacrymæ tuæ, quibus sola peccata tua, nullam vero aliam rei temporalis jacturam defleas ?

Ant. Filiaë Jerusalem, nolite fletu super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos ; et collibus : Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid flet ?

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie, eleïson.

Pater noster. Ave Maria.

V. Spiritus oris nostri Christus Dominus.

R. Captus est in peccatis nostris.

V. Cecidit corona capitis nostri.

R. Væ nobis, quia peccavimus.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, Christe, etc. pag. 444.

IX. STATIO.

UBI ULTIMO CECIDIT AD MONTEM CALVARIE.

*Quoties peccatis nostris Christus
opprimitur !*

Ant. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te ? Responde mihi. Ego te eduxi de terra Ægypti ; et tu me eduxisti ad patibulum Crucis. Ego te pavi manna per desertum quadraginta annis ; et tu me cecidisti alapis et flagellis. Ego dedi tibi sceptrum regale ; et tu dedisti capiti meo spineam coronam. Quid ultra debui tibi facere , et non feci ?

Kyrie , eleïson. Christe , eleïson. Kyrie , eleïson.

Pater noster. Ave Maria.

v. Sicut ovis ad occisionem ductus est.

R. Et quasi agnus coram tondente se obmutuit.

v. Tradidit in mortem animam suam.

R. Ut vivificaret populum suum.

v. Domine , exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe , etc. pag. 444.

X. STATIO.

UBI VESTIBUS EXUTUS FELLE ET ACETO
POTATUR.

*Quam tu immitis es in pauperes ! Idem
Christo facis.*

Ant. Popule meus , quid feci tibi , aut in
quo contristavi te ? Responde mihi. Ego
eduxi te de domo servitutis in terram pro-
missionis ; et tu me descendentem e sinu
Patris eduxisti ad mortem Crucis. Ego te
plantavi vineam meam speciosissimam ; et
tu facta es mihi nimis amara. Ego te potavi
aqua salutis de terra ; et tu me potasti felle
et aceto. Quid ultra debui tibi facere , et
non feci ?

Kyrie , eleïson. Christe , eleïson. Kyrie ,
eleïson.

Pater noster. Ave Maria.

v. Aruit tamquam testa virtus mea.

R. Lingua mea adhæsit faucibus meis.

v. Dederunt in escam meam fel.

R. Et in siti mea potaverunt me aceto.

v. Domine , exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, etc. pag. 444.

XI. STATIO.

UBI CRUCI HORRENDIS CLAVIS AFFIGITUR.

*Quam fortia amoris sunt vincula, quibus
Jesus se tibi obstrinxit! Quibus tu vicis-
sim te illi obstringis?*

*Ant. Popule meus, quid feci tibi? Ego te
exaltavi magna virtute; et tu me suspen-
disti in patibulo Crucis. Ego te excelsiorem
feci cunctis gentibus; et tu me saturasti
opprobriis et maledictis. Ego ante te aperui
mare Rubrum; et tu aperuisti lancea latus
meum. Quid ultra debui tibi facere, et non
feci?*

*Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie,
eleïson.*

Pater noster. Ave Maria.

*v. Quid sunt plagæ istæ in medio ma-
nuum tuarum?*

*R. His plagatus sum in domo eorum qui
diligebant me.*

v. Foderunt manus meas et pedes meos.

R. Et dinumeraverunt omnia ossa mea.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, etc. pag. 444.

XII. STATIO.

UBI IN CRUCE MORITUR.

*Considera, quid moriens dixerit, et fecerit
Jesus. Vide pag. 69. Utinam et tu simili-
liter moriaris!*

Ant. Ecce quomodo moritur justus, et
nemo percipit corde: viri justi tolluntur, et
nemo considerat. A facie iniquitatis subla-
tus est justus, et erit in pace memoria
ejus.

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie,
eleïson.

Pater noster. Ave Maria.

v. Christus factus est pro nobis obediens
usque ad mortem.

R. Mortem autem Crucis.

v. Adoramus te, Christe, et benedicimus
tibi.

R. Quia per sanctam Crucem tuam re-
demisti mundum.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, etc. pag. 444.

XIII. STATIO.

**UBI JESU CORPUS E CRUCE SUPER AFFLICTÆ
MATRIS GENUA DEPONITUR.**

*Considera vehementes animæ dolores Meri-
riæ, cum mortuum Filii sui corpus de
cruce depositum suo complexu susciperet,
et suis genibus sustineret. Charitas tan-
tis eam doloribus affecit, eamque vere
martyrem reddidit. Quamnam tu erga
Salvatorem tuum sentis charitatem et
commiserationem ?*

Ant. Cui comparabo te ? Vel cui assimi-
labo te, filia Jerusalem ? Cui exæquabo te,
virgo filia Sion ? Magna est velut mare
contritio tua. O Mater misericordiæ, fac ut
tecum portem Christi mortem, passionis
fac consortem.

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie,
eleïson.

Pater noster. Ave Maria.

v. Per te salutem hauriamus, Virgo Ma-
ria.

R. Ex vulneribus Christi.

v. Pie Jesu, da per matrem me venire.

R. Ad palmam victoriæ.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, etc. pag. 444.

XIV. STATIO.

UBI JESU CORPUS SEPELITUR.

Considera, o anima mea, quomodo corpus Jesu aromatibus conditur, atque ita in monumento novo sepeliatur. Quibus tu honoribus Jesum, Redemptorem tuum, quotidie, sive sacramentaliter, sive spiritualiter excipis? An pro Jesu tuo recipiendo semper conaris esse monumentum novum, et præclaris virtutum ornamentis splendidum?

Ant. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum; factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber. O bone Jesu, venio huc cum mulieribus ad monumentum, lamentans et flens quod adhuc tam indignum me reddidi, ad regnum gratiæ tuæ in corde meo conservandum et stabiliendum.

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson. Kyrie, eleïson.

Pater noster. Ave Maria.

v. Caro mea requiescet in spe.

r. Et non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

v. Exurge, Domine, adjuva me.

r. Et redime me a peccatis meis.

V. Domine , exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe , etc. *pag. 444.*

COMMENDATIO.

Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium , et Crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.

ORATIO DE S. SINDONE CHRISTI.

Domine Jesu, qui in sancta Sindone, qua Corpus tuum sacratissimum de Cruce depositum a Joseph involutum fuit, passionis tuæ vestigia reliquisti : concede propitius , ut per mortem et sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.

2. ITINERARIUM.

Ant. In viam pacis.

CANTICUM ZACHARIÆ. *Luc. 1.*

Benedictus Dominus Deus Israël : * quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis : * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Sanctorum, * qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, * et memorari testamenti sui sancti.

Iusjurandum, quod juravit ab Abraham patrem nostrum : * daturum se nobis.

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviamus illi.

In sanctitate et justitia coram ipso : * omnibus diebus nostris.

Et tu, Puer, Propheta Altissimi vocaberis : * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus : * in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri : * in quibus visitavit nos, oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent : * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri.

Ant. In viam pacis et prosperitatis dirigat nos omnipotens et misericors Dominus : et Angelus Raphaël comitetur nobiscum in

via , ut cum pace , salute et gaudio rever-
tamur ad propria.

Kyrie , eleïson. Christe , eleïson. Kyrie ,
eleïson.

Pater noster. *Secreto.*

v. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

v. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus sperantes in te.

v. Mitte nobis , Domine , auxilium de
sancto.

R. Et de Sion tuere nos.

v. Esto nobis, Domine, turris fortitu-
dinis.

R. A facie inimici.

v. Nihil proficiat inimicus in nobis.

R. Et filius iniquitatis non apponat no-
cere nobis.

v. Benedictus Dominus die quotidie.

R. Prosperum iter faciat nobis Deus sa-
lutarium nostrorum.

v. Vias tuas , Domine , demonstra nobis.

R. Et semitas tuas edoce nos.

v. Utinam dirigantur viæ nostræ.

R. Ad custodiendas justificationes tuas.

v. Erunt prava in directa.

R. Et aspera in vias planas.

v. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus sviis tuis.

**V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.**

OREMUS.

Deus, qui filios Israël per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandisti : tribue nobis, quæsumus, iter prosperum, tempusque tranquillum; ut Angelo tuo sancto comite ad eum, quo pergimus, locum, ac demum ad æternæ salutis portum pervenire feliciter valeamus.

Deus, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum eductum, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti : quæsumus, ut nos famulos tuos custodire digneris : esto nobis, Domine, in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia et frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut te duce, quo tendimus, prospere perveniamus, et demum incolumes ad propria redeamus.

Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone : ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates tuo semper protegamur auxilio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, et beati Joannis præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secure perveniat Dominum nostrum Jesus Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

v. Procedamus in pace.

r. In nomine Domini. Amen.

3. PRECES ÆGROTANTIUM,

ETIAM A SANO QUOVIS SÆPIUS RECITANDÆ.

TESTAMENTUM HOMINIS CHRISTIANI.

In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Ego N. animam meam trado in manus Creatoris et Redemptoris sui: corpus terræ, unde exivit, restituendum relinquo: temporalibus bonis, honoribus ac deliciis prompto animo renuntio: te solo Deo ac Domino meo frui cupio.

De peccatis meis ex animo doleo, maxime istis... ideo solum, quod te Deum meum, quem super omnia amo, offenderit: seriam emendationem et satisfactionem, tua

ope præstandam, promitto. Offensas omnes omnibus lubens condono, quod idem ut mihi fiat, humillime peto. Credo quidquid Ecclesia Catholica mihi credendum proponit. Spero me per infinitam misericordiam tuam, mi Deus, remissionem omnium peccatorum et vitam æternam consecuturum. Eundem te verum Deum meum, trinum in Personis, summum et unicum bonum meum, amo ex toto corde meo, ex tota anima mea et ex omnibus viribus meis. Mala perinde ac bona de manu tua cum gratiarum actione accepto; et me totum divinæ providentiæ tuæ, sanctissimoque arbitrio committo.

Hanc ultimam voluntatem meam roborari et confirmari peto testimonio et auxilio vestro, o sancta Maria, o sancte Joseph, o sancte Angele custos, o sancta Barbara, o sancti Patroni mei NN. Adeste, obsecro, piis desideriis ac votis clientis vestri N.

FIRMI ÆGROTI PROPOSITA.

1. Hunc morbum grato animo de manu Dei mei accipio.

2. Petam constanter a Deo gratiam ut, ipso juvante, brevi æque paratus sim ad moriendum ac vivendum.

3. Patiens ero in doloribus meis.

4. Omnibus qui me umquam offenderunt, ex animo ignosco.

5. Peto etiam veniam ab omnibus , quos ipse umquam quacumque ratione offendi.

6. Doleo ex toto corde quod Deum summum bonum umquam offenderim.

7. Credo firmiter omnia quæ Deus per Ecclesiam mihi credenda proposuit.

8. Spero remissionem omnium meorum peccatorum et vitam æternam.

9. Dominum Deum meum ex toto corde super omnia diligo.

10. Cupio omnium indulgentiarum, quarum jam capax sum , etiam nunc particeps fieri.

11. Ex hoc modo tempore, et vel maxime in agone, sinceri doloris signum de peccatis meis edere cupio , ab iis absolvi, et ingravescente morbo, ubi id licuerit, sanctissimum Viaticum recipere et sacro oleo inungi, atque ita Christum Salvatorem meum animæ et corporis mei hæredem instituo.

Hæc proposita poterunt etiam amicis ægrotis in modum quæstionum vel consiliorum, summo cum fructu proponi.

ASPIRATIONES PIÆ AD VITAM COELESTEM
ETIAM A SANO SÆPE USURPANDÆ. *Ex cap.*
35. Soliloq. S. Augustini.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam, et apparebo ante faciem tuam? O fons vitæ, vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ de terra deserta, invia et inaquosa, ut videam virtutem tuam et gloriam tuam, et satiem ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam? Sitio, Domine; fons vitæ es, satia me. Sitio, Domine, sitio te Deum vivum. O quando veniam et apparebo, Domine, ante faciem tuam? Putasne, videbo diem illam, diem, inquam, jucunditatis et lætitiæ, diem quam fecit Dominus, ut exulemus et lætemur in ea?

O dies præclara et pulchra, nesciens vesperum, non habens occasum! in qua audiam vocem laudis, vocem exultationis et confessionis, in qua audiam: *Intra in gaudium Domini tui.*

O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, ut videam Deum meum, qui habitat in te? Ibo illuc,

et videbo visionem hanc grandem. Quid est, quod me detinet? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.

Veni, Domine, et noli tardare: veni, Domine Jesu Christe, veni et visita nos in pace: veni et educ vinctos de carcere, ut lætemur coram te corde perfecto: veni, Salvator noster: veni, desideratus cunctis gentibus: ostende faciem tuam et salvi erimus.

Quamdiu miser jactabor in fluctibus mortalitatis meæ, clamans ad te, Domine, et non exaudis? Audi clamantem, Domine, de hoc mari magno, et adduc me ad portum felicitatis æternæ. Felices, qui de periculis maris hujus educti ad te Deum portum tutissimum pervenire meruere!

O vere beati, qui ad regnum omnium sæculorum pervenerunt! O quam gloriosum est regnum, in quo tecum, Domine, regnant omnes sancti, amicti lumine sicut vestimento, habentes in capite suo coronam de lapide pretioso. Ubi summum bonum possidetur, quod est videre semper faciem Domini virtutum.

En ad te clamamus redempti tui, sed et nunc exules tui, quos pretioso Sanguine redemisti. Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ. Salva nos propter nomen sanctum tuum. Amen.

HYMNUS.

Cœlestis arbs Jerusalem,
Beata pacis visio,
Quæ celsa de viventibus,
Saxis ad astra tolleris,
Sponsæque ritu cingeris
Mille Angelorum millibus.

O sorte nupta prospera,
Dotata Patris gloria,
Respersa sponsi gratia,
Regina formosissima,
Christo jugata principi.
Cœli corusca civitas.

Hic margaritis emicant,
Patentque cunctis ostia :
Virtute namque prævia
Mortalis illuc ducitur,
Amore Christi percitus
Tormenta quisquis sustinet.

Scalpri salubris ictibus,
Et tunsione plurima ,
Fabri polita malleo
Hanc saxa molem construunt,
Aptisque juncta nexibus
Locantur in fastigio.

Decus parenti debitum
Sit usquequaque Altissimo ;
Natoque Patris unico,

Et inclyto Paraclito ;
 Cui laus, potestas, gloria,
 Æterna sit per sæcula.
 Amen.

ORATIO PRO FELICI MORTE, TER DICENDA.

Domine Jesu, per amaritudinem tuam
 quam sustinuisti in Cruce, maxime quando
 benedicta anima tua de corpore egredie-
 batur, miserere animæ meæ in egressu
 suo. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

XXVII.

MODUS JUVANDI MORIENTES.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

1. MODUS JUVANDI MORIENTES.

*Hic ordo commendationis animæ præci-
 pitur in Rituali Romano.*

*I. Accensa candela, genibus flexis, cum
 omnibus circumstantibus assistens recitet
 sequentes Litanias:*

Kyrie, eleïson.

Christe, eleïson.

Kyrie, eleïson.

Sancta Maria, ora pro eo.

Omnes sancti Angeli, et archangeli, orate

Sancte Abel , ora

Omnis chorus Justorum, ora

Sancte Abraham , ora

Sancte Joannes-Baptista, ora

Sancte Joseph, ora

Omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ,
orate

Sancte Petre , ora

Sancte Paule , ora

Sancte Andrea , ora

Sancte Joannes , ora

Omnes sancti Apostoli et Evangelistæ, pro eo.
orate

Omnes sancti Discipuli Domini, orate

Omnes sancti Innocentes, orate

Sancte Stephane , ora

Sancte Laurenti, ora

Omnes sancti Martyres, orate

Sancte Silvester , ora

Sancte Gregori , ora

Sancte Augustine, ora

Omnes sancti Pontifices et Confessores,
orate

Sancte Benedicte , ora

Sancte Francisce , ora

Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate

Sancta Maria Magdalena , ora

Sancta Lucia , ora pro eo.

Omnes sanctæ Virgines et Viduæ , orate
pro eo.

Omnes Sancti et Sanctæ Dei , intercedite
pro eo.

Propitius esto, parce ei , Domine.

Propitius esto , exaudi nos , Domine.

Propitius esto , libera eum , Domine.

Ab ira tua,

A periculo mortis,

A mala morte,

A pœnis inferni,

Ab omni malo,

A potestate diaboli,

Per nativitatem tuam,

Per crucem et passionem tuam,

Per mortem et sepulturam tuam,

Per gloriosam resurrectionem tuam,

Per admirabilem ascensionem tuam,

Per gratiam Spiritus sancti paracliti,

In die judicii,

Peccatores , te rogamus, audi nos.

Ut ei parcas, te rogamus, audi nos.

Kyrie , eleïson. Christe , eleïson , Kyrie ,
eleïson.

Libera eum, Domine.

Deinde, cum in agone sui exitus anima anxietur, dicantur sequentes Orationes :

ORATIO.

Proficiscere , anima Christiana , de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit : in nomine Jesu Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est : in nomine Spiritus sancti , qui in te effusus est : in nomine Angelorum et Archangelorum : in nomine Thronorum et Dominationum : in nomine Principatum et Potestatum : in nomine Cherubim et Seraphim : in nomine Patriarcharum et Prophetarum : in nomine sanctorum Apostolorum et Evangelistarum : in nomine sanctorum Martyrum et Confessorum : in nomine sanctorum Monachorum et Eremitarum : in nomine sanctarum Virginum , et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei : hodie sit in pace locus tuus , et habitatio tua in sancta Sion. Per eundem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

ORATIO.

Deus misericors , Deus clemens , Deus , qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata poenitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas : respice propitius super hunc famulum tuum N. et remissionem omnium

peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolico fraude violatum est: et unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere, Domine, gemitum, miserere lacrymarum ejus: et non habentem fiduciam, nisi in tuā misericordia, ad tuæ sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Commendo te omnipotenti Deo, charissime frater, et ei, cujus es creatura, committo: ut cum humanitatis debitum morte interveniente persolveris, ad Auctorem tuum, qui te de limo terræ formaverat, revertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore splendidus Angelorum coetus occurrat: judex Apostolorum tibi senatus adveniat: candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet: liliata rutilantium te Confessorum turba circumdet: jubilantium te Virginum chorus excipiat: et beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat: mitis aque festinus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi jugiter interesse discernat. Ignores omne quod horret in tene-

bris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Sathas cum satellitibus suis : in adventu tuo te comitantibus Angelis contremiscat, atque in æternæ noctis choas immane diffugiat. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus ; et fugiant qui oderunt eum , a facie ejus. Sicut deficit fumus , deficient : sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei : et justī epulentur , et exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur et erubescant omnes tartaræ legiones, et ministri Satanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te ab æternâ mortē Christus , qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei vivi intra paradisi sui semper amœna virentia , et inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat ; atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas , et præsens semper assistens , manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutis igitur inter agmina beatorum, contemplationis divinæ dulcedine potiari in sæcula sæculorum. *N. Amen.*

ORATIO.

Suscipe, Domine, servum tuum in locum sperandæ sibi salvationis a misericordia tua.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui ex omnibus periculis inferni, et de laqueis poenarum, et ex omnibus tribulationibus.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Henoch et Eliam de communi morte mundi.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Noe de diluvio.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldæorum.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Job de passionibus suis.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia, et de manu Patris sui Abrahæ.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Loth de Sodomis et de flamma ignis.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui , sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis regis Ægyptiorum.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Daniëlem de lacu leonum.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis et de manu regis iniqui.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui , sicut liberasti Susannam de falso crimine.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui , sicut liberasti David de manu regis Saul , et de manu Goliæ.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Petrum et Paulum de carceribus.

R. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam Virginem et Martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti , sic liberare digneris animam hujus servi tui , et tecum facias in bonis congaudere cœlestibus.

R. Amen.

ORATIO.

Commendamus tibi , Domine, animam famuli tui N. precamurque te, Domine Jesu Christe, Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnose, Domine, creaturam tuam, non a diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero : quia non est alius Deus præter te , et non est secundum opera tua. Lætifica, Domine, animam ejus in conspectu tuo , et ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, et ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverit , tamen Patrem , et Filium , et Spiritum sanctum non negavit, sed credidit , et zelum Dei in se habuit, et Deum, qui fecit omnia , fideliter adoravit.

ORATIO.

Delicta juventutis, et ignorantias ejus, quæsumus, ne memineris, Domine : sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cœli , collætentur illi Angeli. In regnum tuum, Domine , servum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michaël, archangelus Dei, qui militiæ cœlesti meruit principatum. Veniat illi obviam sancti An-

geli Dei, et perducant eum in civitatem coelestem Jerusalem. Suscipiat eum beatus Petrus apostolus, cui a Deo claves regni coelestis traditæ snt. Adjuvet eum sanctus Paulus apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo sanctus Joannes, electus Dei apostolus, cui revelata sunt secreta coelestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus a Domino data est potesta ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes sancti et electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt: ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam regni coelestis, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. R. Amen.

II. *In expiratione vehementer orationi instandum est. Ipse moriens, si potest, dicat, vel, si non potest, assistens clara voce pronuntiet: JESU, JESU, JESU. Quæ verba, uti etiam ea quæ sequuntur, sæpius ad aures morientes repetat.*

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum. Sancta Maria, ora pro me. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

III. *Egressa anima de corpore , statim dicatur :*

Subvenite, sancti Dei , occurrere Angeli Domini, * Suscipientes animam ejus, * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

v. Suscipiat te Christus , qui vocavit te , et in sinum Abrahæ Angeli deducant te.

R. Suscipientes animam ejus, * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

v. Requiem æternam dona ei, Domine , et lux perpetua luceat ei. * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Kyrie , eleïson. Christe , eleïson. Kyrie , eleïson.

Pater noster.

v. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

v. Requiem æternam dona ei , Domine

R. Et lux perpetua luceat ei.

v. A porta inferi.

R. Erue , Domine , animam ejus.

v. Requiescat in pace.

R. Amen.

v. Domine , exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

v. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui N. ut defunctus sæculo tibi vivat, et quæ per fragilitatem humanæ conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

* 2. OFFICIUM DEFUNCTORUM.

In die omnium fidelium defunctorum, in die depositionis, et in anniversario alicujus defuncti, dicitur cum invitatorio Venite, exultemus, et cum tribus Nocturnis, et tunc Antiphonæ tam ad Vesperas quam Matutinum et Laudes duplicantur, h. e. integre ante et post Psalmos recitantur, cum una tantum oratione, et ad Vesperas omittitur psalmus Lauda, anima; ad Laudes vero De Profundis. Et hoc modo etiam semper lege potest hoc Officium integre, ab iis maxime, qui ad illud legendum non tenentur. Quomodo alioquin reliquo anni tempore regulariter dici debeat, notatur pag. 489.

AD VESPERAS.

Absolute incipe ab Antiphona: Placebo Domino.

**PS. 114. GRATIÆ AGUNTUR PRO LIBERATIONE
EX ANGUSTIA.**

**Dilexi, quoniam exaudiet Dominus* vo-
cem orationis meæ.**

**Quia inclinavit aurem suam mihi, * et in
diebus meis invocabo.**

**Circumdederunt me dolores mortis, * et
pericula inferni invenerunt me.**

**Tribulationem et dolorem inveni, * et
nomen Domini invocavi.**

**O Domine, libera animam meam : * mi-
sericors Dominus et justus, et Deus noster
miseretur.**

**Custodiens parvulos Dominus : * humi-
liatus sum, et liberavit me.**

**Convertere, anima mea, in requiem
tuam : * quia Dominus benefecit tibi.}**

**Quia eripuit animam meam de morte : *
oculos meos a lacrymis, pedes meos a
lapsu.**

Placebo Domino * in regione vivorum.

**Requiem æternam dona eis, Domine : *
et lux perpetua luceat eis.**

Ant. Placebo Domino in regione vivorum.

Ant. Heu mihi ! Domine.

**PS. 119. QUERELÆ DE MALITIOSIS HOMINUM
LINGUIS.**

**Ad Dominum cum tribularer, clamavi : *
et exaudivit me.**

Domine , libera animam meam a labiis iniquis : * et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi : * ad linguam dolosam ?

Sagittæ potentis acutæ : * cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar : * multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem , eram pacificus : * cum loquebar illis , impugnabant me gratis.

Requiem æternam.

Ant. Heu mihi, Domine, quia incolatus meus prolongatus est.

Ant. Dominus custodit te.

PS. 120. A SOLO DEO AUXILIUM EXPECTANDUM.

Levavi oculos meos in montes : * unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino : * qui fecit cælum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum : * neque dormiet, qui custodit te.

Ecce non dormitabat , neque dormiet : * qui custodit Israël.

Dominus custodit te , Dominus protectio tua : * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te : * neque luna per noctem.

**Dominus custodit te ab omni malo : *
custodiat animam tuam Dominus.**

**: Dominus custodiat introitum tuum , et
exitum tuum : * et hoc, nunc , et usque in
sæculum.**

Requiem æternam.

**. Ant. Dominus custodit te ab omni malo :
custodiat animam tuam Dominus.**

Ant. Si iniquitates.

PS. 129. UT A CULPA ET POENA LIBEREMUR.

De profundis clamavi etc. *Vide pag. 33.*

Requiem æternam.

**Ant. Si iniquitates observaveris, Domine,
Domine quis sustinebit ?**

Ant. Opera.

PS. 137. ACTIS GRATIIS PETITUR MESSIAS.

**Confitebor tibi, Domine , in toto corde
meo : * quoniam audisti verba oris mei.**

**In conspectu Angelorum psallam tibi : *
adorabo ad templum sanctum tuum , et
confitebor nomini tuo.**

**Super misericordia tua et veritate tua : *
quoniam magnificasti super omne, nomen
sanctum tuum.**

**In quacumque die invocavero te , exaudi
me : * multiplicabis in anima mea virtutem.**

**Confiteantur tibi , Domine , omnes reges
terræ : * quia audierunt omnia verba oris tui.**

Et cantent in viis Domini : * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus , et humilia respicit : * et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis , vivificabis me : * et super iram inimicorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me : Domine , misericordia tua in sæculum : * opera manuum tuarum ne despicias.

Requiem æternam.

Ant. Opera manuum tuarum , Domine , ne despicias.

V. Audivi vocem de cœlo dicentem mihi.

R. Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Ant. Omne.

CANTICUM BEATÆ Mariæ VIRGINIS. *Luc. 1.*

Magnificat : * anima mea, etc. *Vide pag. 176.*

Requiem æternam.

Ant. Omne , quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum qui venit ad me non ejiciam foras.

In feriali Officio , quo unum tantum recitas Nocturnum , dicas sequentes preces integras , et quidem flexis genibus : idem

fiat post Laudes ; sed tunc loco Lauda anima, dicas De profundis.

In Officio vere, quo tres recitas Nocturnos, dicas Pater noster. A porta inferi, etc. cum Oratione conveniente. Deinde Requiem etc. Requiescant in pace. R. Amen. Pater noster, etc. secreto.

v. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

PS. 145. IN SOLO DEO OMNEM FIDUCIAM
PONENDAM ESSE.

Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea : * psallam Deo meo : quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus : * in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam : * in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus ; spes ejus in Domino Deo ipsius : * qui fecit coelum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriis patientibus : * dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos : * Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos : * Dominus diligit iustos.

Dominus custodit advenas ; pupillum et viduam suscipiet : * et vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in sæcula , Deus tuus Sion : * in generationem et generationem.

Requiem æternam.

v. A porta inferi.

R. Erue , Domine, animas eorum.

v. Requiescant in pace.

R. Amen.

v. Domine , exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui inter Apostolicos sacerdotes , famulos tuos Pontificali (seu Sacerdotali) fecisti dignitate vigere : præsta, quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus , veniæ largitor, et humanæ salutis amator : quæsumus clementiam tuam , ut nostræ congregationis fratres , propinquos et benefactores , qui ex hoc sæculo transierunt , beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis , ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium , Deus, omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum : ut indulgentiam, quam semper optaverunt piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas.

v. Requiem æternam dona eis , Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

v. Requiescant in pace.

R. Amen.

In die Commemorationis omnium Defunctorum, omissis precibus, dicitur Oratio præcedens : Fidelium Deus , et in fine : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus , per omnia sæcula sæculorum.

R. Amen.

v. Requiem æternam dona eis , Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

v. Requiescant in pace.

R. Amen.

In die obitus vel depositionis.

ORATIO.

Absolve , quæsumus , Domine , animam famuli tui N. (vel famulæ tuæ N.) ut defunctus (vel defuncta) sæculo , tibi vivat : et quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commisit , tu venia misericor-

dissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum.

Pro defuncto Episcopo.

ORATIO.

Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Pontificali fecisti dignitate vigere : præsta , quæsumus , ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum nostrum.

Pro sacerdote dicitur eadem Oratio : sed loco Pontificali dicitur Sacerdotali.

Pro patre vel matre defuncto.

ORATIO.

Deus, qui nos patrem et matrem honorare præcepisti : miserere clementer animæ patris mei N. (vel matris meæ N.) meque eum (vel eam) in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum.

Pro utroque simul dicitur animabus patris et matris meæ , meque eos in æternæ.

Pro defunctis fratribus, vropinquis , benefactoribus.

ORATIO.

Deus , veniæ etc. Vide pag. 485.

Pro uno Defuncto.

ORATIO.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: ut animam famuli tui N. quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum.

Pro una Defuncta.

ORATIO.

Quæsumus, Domine, pro tua pietate misere animæ famulæ tuæ N. et a contagiis mortalitatis exutam, in æternæ salvationis partem restitue. Per Dominum nostrum.

In anniversario die.

ORATIO.

Deus indulgentiarum Domine: da animabus famulorum famularumque tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem et luminis claritatem. Per Dominum nostrum.

Pro uno vel una dicitur in singulari numero.

Pro Defunctis generalis.

ORATIO.

Fidelium, Deus etc. *Vide pag. 486.*

AD MATUTINUM.

Dicitur sequens Invitatorium temporibus quæ indicantur p. 479 ; aliis illud omittitur, et inchoatur ab Antiphona Psalmorum Nocturni, quando videlicet tantum unum Nocturnum dicis cum Laudibus ; quod fit hoc ordine : 2 et 5 FERIA, seu die Lunæ et Jovis, primum Nocturnum ; 3 et 6 FERIA, seu die Martis et Veneris, secundum Nocturnum ; 4 FERIA, seu dii Mercurii et Sabato, tertium Nocturnum dicitur.

INVITATORIUM.

Regem, cui omnia vivunt, * Venite, adoremus.

ET REPETITUR.

Regem, cui omnia vivunt, * Venite, adoremus.

PS. 94. EXHORTATIO AD DEI LAUDES DECAN-
TANDAS.

Venite, exulemus Domino, jubitemus Deo salutari nostro : præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.

Regem, cui omnia vivunt, venite, adoremus.

Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes deos : quoniam non

repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ : et altitudines montium ipse conspicit.

Venite , adoremus.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam fundaverunt manus ejus : venite , adoremus , et procidamus ante Deum : ploremus coram Domino , qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster , nos autem populus ejus , et oves pascuæ ejus.

Regem, cui omnia vivunt, venite, adoremus.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto : ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt et viderunt opera mea.

Venite , adoremus.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi : Semper hi errant corde : ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.

Regem, cui omnia vivunt , venite, adoremus.

Requiem æternam dona eis , Domine , et lux perpetua luceat eis.

Venite , adoremus.

Regem, cui omnia vivunt, venite, adoremus.

IN I. NOCTURNO.

PRO FERIA SECUNDA ET QUINTA.

Ant. Dirige.

PS. 5. ORATIO EST, UT DĒUS PIIS OPITULETUR

Verba mea auribus percipe, Domine : *
intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ : * Rex meus,
et Deus meus.

Quoniam ad te orabo : * Domine , mane
exaudies vocem meam.

Mane astabo tibi , et videbo : * quoniam
non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus : *
neque permanebunt injusti ante oculos
tuos.

Odisti omnes , qui operantur iniquitatem : *
perdes omnes , qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus : *
ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam : * adorabo ad
templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in justitia tua : * propter
inimicos meos dirige in conspectu tuo
viam meam.

**Quoniam non est in ore eorum veritas :
cor eorum vanum est.**

**Sepulchrum patens est guttur eorum ,
linguis suis dolose agebant : * judica illos,
Deus.**

**Decidant a cogitationibus suis, secun-
dum multitudinem impietatum eorum ex-
pelle eos : * quoniam irritaverunt te, Do-
mine.**

**Et lætentur omnes, qui sperant in te : * in
æternum exultabunt, et habitabis in eis.**

**Et gloriabuntur in te omnes, qui dili-
gunt nomen tuum : * quoniam tu benedices
justo.**

**Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ, *
coronasti nos.**

Requiem æternam.

**Ant. Dirige , Domine, Deus meus , in
conspectu tuo viam meam.**

Ant. Convertere, Domine.

PS. 6. PIA POENITENTIS PRECATIO.

**Domine , ne in furore tuo etc. Vide
pag. 373.**

Requiem æternam.

**Ant. Convertere, Domine, et eripe ani-
mam meam : quoniam non est in morte
qui memor sit tui.**

Ant. Nequando.

PS. 7. QUERELÆ CONTRA INSIDIANTES.

Domine Deus meus, in te speravi : * sal-
vum me fac ex omnibus persequentibus
me, et libera me.

Nequando rapiat ut leo animam meam : *
dum non est qui redimat, neque qui sal-
vum faciat.

Domine Deus meus, si feci istud : * si est
iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuētibus mihi mala : *
decidam merito ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meam , et
comprehendat, et conculcet in terra vitam
meam : * et gloriam meam in pulverem
deducat.

Exurge, Domine, in ira tua, * et exaltare
in finibus inimicorum meorum.

Et exurge , Domine Deus meus , in præ-
cepto quod mandasti : * et synagoga popu-
lorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere : *
Dominus judicat populos.

Judica me, Domine, secundum justitiam
meam, * et secundum innocentiam meam
super me.

Consumetur nequitia peccatorum, et di-
riges justum : * scrutans corda et renes
Deus.

Justum adjutorium meum a Domino, *
qui salvos facit rectos corde.

Deus, iudex justus, fortis et patiens, * numquid irascitur per singulos dies ?

Nisi conversi fueritis, gaudium suum vibrabit : * acrum suum tetendit, et paravit illum

Et in eo paravit vasa mortis : * sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturiit injustitiam ; * concepit dolorem, et perperit iniquitatem.

Lacum aperuit, et effodit eum : * et incidit in foveam quam fecit.

Convertetur dolor ejus in caput ejus : * et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Domino secundum justitiam ejus : * et psallam nomini Domini Altissimi.

Requiem æternam.

Ant. Nequando rapiat ut leo animam meam ; dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

V. A porta inferi,

R. Erue, Domine, animas eorum.

Pater noster.

LECTIO PRIMA. *Job* 7.

Parce mihi, Domine; nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diliculus, et subito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me,

ut glutiam salivam meam ? Peccavi ; quid faciam tibi , o custos hominum ? quare posuisti me contrarium tibi , et factus sum mihi met ipsi gravis ? Cur non tollis peccatum meum , et quare non auferas iniquitatem meam ? Ecce nunc in pulvere dormiam , et si mane me quæsieris , non subsistam.

R. Credo quod Redemptor meus vivit ; et in novissimo die de terra surrecturus sum : Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. v. Quem visurus sum ego ipse , et non alius , et oculi mei conspecturi sunt. Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.

LECTIO SECUNDA. *Job 10.*

Tædet animam meam vitæ meæ ; dimittam adversum me eloquium meum , loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam Deo : Noli me condemnare. Indica mihi cur me ita judices ? Numquid bonum tibi videtur , si calumnieris me , et opprimas me opus manuum tuarum , et consilium impiorum adjuves ? Numquid oculi carnei tibi sunt ; aut sicut videt homo , et tu videbis ? Numquid sicut dies hominis dies tui ; et anni tui sicut humana sunt tempora , ut quæras iniquitatem meam , et peccatum meum scruteris ? Et scias quia nihil impium fece-

rim , cum sit nemo qui de manu tua possit eruere.

R. Qui Lazarum resuscitasti a monumento foetidum; * tu eis, Domine, dona requiem et locum indulgentiæ. V. Qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. Tu eis, Domine, dona requiem , et locum indulgentiæ.

LECTIO TERTIA. *Job 40.*

Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu ; et sic repente præcipitas me ? Memento , quæso , quod sicut lutum feceris me , et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti ? Pelle et carnibus vestisti me ; ossibus et nervis compegisti me. Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum.

R. Domine , quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu iræ tuæ ? * Quia peccavi nimis in vita mea. V. Commissa mea pavesco , et ante te erubesco; dum veneris judicare, noli me condemnare. Quia peccavi nimis in vita mea. V. Requiem æternam dona eis, Domine; et lux perpetua luceat eis. Quia peccavi nimis in vita mea.

In seriali Officio transeas hinc ad Laudes, pag. 412.

IN II. NOCTURNO.

PRO FERIA TERTIA ET SEXTA.

Ant. In loco pascuæ.

PS. 22. GRATULATIO DE CHRISTI CURA IN NOS.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit : *
in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me : *
animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ : * pro-
pter nomen suum.

Nam et si ambulavero in medio umbræ
mortis, non timebo mala : * quoniam tu
mecum es.

Virga tua, et baculus tuus : * ipsa me
consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * ad-
versus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum : * et
calix meus inebrians quam præclarus est !

Et misericordia tua subsequetur me *
omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini, * in
longitudinem dierum.

Requiem æternam.

Ant. In loco pascuæ ibi me collocavit.*Ant.* Delicta.

PS. 24. UT A PECCATIS , MALORUM FONTIBUS ,
EXSOLVAMUR.

Ad te, Domine, levavi animam meam : *
Deus meus, in te confido , non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei : * etenim
universi, qui sustinent te , non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes : *
supervacue.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi : * et
semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, et doce me : *
quia tu es Deus Salvator meus , et te susti-
nui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum, Do-
mine, et misericordiarum tuarum , quæ a
sæculo sunt.

Delicta juventutis meæ * et ignorantias
meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento
mei tu : * propter bonitatem tuam, Domine.

Dulcis et rectus Dominus : * propter hoc
legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in iudicio : * docebit
mites vias suas.

Universæ viæ Domini misericordia et ve-
ritas : * requirentibus testamentum ejus et
testimonia ejus.

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo : * multum est enim.

Quis est homo, qui timet Dominum ? * legem statuit et in via, quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur : * et semen ejus hæreditabit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum : * et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum : * quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, et miserere mei : * quia unicus et pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : * de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam et laborem meum : * et dimitte universa delicta mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt : * et odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, et erue me : * non erubescam, quoniam speravi in te.

Innocentes et recti adhæserunt mihi : * quia sustinui te.

Libera, Deus, Israël * ex omnibus tribulationibus suis.

Requiam æternam.

Ant. Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris, Domine.

Ant. Credo videre.

**PS. 26. IN SUMMIS MALIS AD COELUM
ASPIRANDUM.**

**Dominus illuminatio mea et salus mea : *
quem timebo ?**

**Dominus protector vitæ meæ : * a quo
trepidabo ?**

**Dum appropiant super me nocentes, * ut
edant carnes meas.**

**Qui tribulant me inimici mei, * ipsi infir-
mati sunt, et ceciderunt.**

**Si consistent adversum me castra, * non
timebit cor meum.**

**Si exsurgat adversum me prælium, * in
hoc ego sperabo.**

**Unam petii a Domino, hanc requiram, *
ut inhabitem in domo Domini omnibus
diebus vitæ meæ.**

**Ut videam voluptatem Domini, * et visi-
tem templum ejus.**

**Quoniam abscondit me in tabernaculo
suo : * in die malorum protexit me in ab-
scondito tabernaculi sui.**

**In petra exultavit me : * et nunc exaltavit
caput meum super inimicos meos.**

**Circuivi, et immolavi in tabernaculo
ejus hostiam vociferationis : * cantabo, et
psalmum dicam Domino.**

**Exaudi, Domine, vocem meam, qua cla-
mavi ad te : * miserere mei, et exaudi me.**

Tibi dixit cor meum , exquisivit te facies mea : * faciem tuam , Domine , requiram.

Ne avertas faciem tuam a me : * ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto, ne derelinquas me, * neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me : * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in via tua : * et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me : * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini * in terra viventium.

Expecta Dominum , viriliter age : * et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Requiem æternam.

Ant. Credo videre bona Domini in terra viventium.

v. Collocet eos Dominus cum principibus.

R. Cum principibus populi sui.

Pater noster.

LECTIO QUARTA. *Job 13.*

Responde mihi : Quantas habeo iniquitates et peccata ; scelera mea et delicta

ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur a tineâ.

R. Memento mei, Deus, quia ventus est vita mea. * Nec aspiciat me visus hominis.

v. De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam. Nec aspiciat me visus hominis.

LECTIO QUINTA. *Job 14.*

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujusmodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in iudicium? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: con-

stituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii, dies ejus.

R. Heu mihi! Domine, quia peccavi nimis in vita mea. Quid faciam miser? ubi fugiam, nisi ad te, Deus meus? * Miserere mei, dum veneris in novissimo die. v. Anima mea turbata est valde, sed tu, Domine, succurre ei. Miserere mei, dum veneris in novissimo die.

LECTIO SEXTA. *Job 14.*

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putasne mortuus homo rursum vivat? Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, et ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

R. Ne recorderis peccata mea, Domine, * dum veneris judicare sæculum per ignem. v. Dirige, Domine, Deus meus, in conspectu tuo viam meam. Dum veneris judicare sæculum per ignem. v. Requiem æternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat

eis: Dum veneris judicare sæculum per ignem.

In feriat Officio transeas hinc ad Laudes, pag. 412.

IN III. NOCTURNO.

PRO FERIA QUARTA ET SABBATO,

Ant. Complaceat.

PS. 39. GRATIÆ PRO EREPTIONE EX MISERIA.

Expectans expectavi Dominum, * et intendit mihi.

Et exaudivit preces meas : * et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.

Et statuit super petram pedes meos : * et direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum novum : * carmen Deo nostro.

Videbunt multi, et timebunt : * et sperabunt in Domino.

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, * et non respexit in vanitates et insanias falsas.

Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua : * et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi, et locutus sum : * multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium et oblationem nolisti : * aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum et pro peccato non postulasti : * tunc dixi : Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam : * Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna : * ecce labia mea non prohibebo ; Domine, tu scisti.

Justitiam tuam non abscondi in corde meo : * veritatem tuam et salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam * a concilio multo.

Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me : * misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus : * comprehenderunt me iniquitates meae, et non potui ut viderem.

Multiplicatae sunt super capillos capitis mei * et cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi, Domine, ut eruas me : * Domine ad adjuvandum me respice.

Confundantur et reveantur simul, qui quæerunt animam meam : * ut auferant eam.

Convertantur retrorsum, et reveantur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exultent et lætentur super te omnes quærentes te : * et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum et pauper : * Dominus sollicitus est mei.

Adjutor meus et protector meus es tu : * Deus meus, ne tardaveris.

Requiem æternam.

Ant. Complaceat tibi, Domine, ut eripias me : Domine, ad adjuvandum me respice.

Ant. Sana, Domine.

PS. 40. BENE PRECATUR BONIS , QUERITUR DE MALIS.

Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem : * in die mala liberavit eum Dominus.

Dominus conservet eum , et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra : * et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus : * universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi : Domine, miserere mei : * sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi : * quando morietur, et peribit nomen ejus ?

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur : * cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, * et loquebatur in id-
ipsum.

Adversum me susurrabant omnes ini-
mici mei : * adversum me cogitabant mala
mihi.

Verbum iniquum constituerunt adver-
sum me : * numquid qui dormit, non ad-
jiciet ut resurgat ?

Etenim homo pacis meæ, in quo spera-
vi : * qui edebat panes meos, magnificavit
super me supplantationem.

Tu autem, Domine, miserere mei, et re-
suscita me : * et retribuam eis.

In hoc cognovi quoniam voluisti me : *
quoniam non gaudebit inimicus meus su-
per me.

Me autem propter innocentiam suscepis-
ti, et confirmasti me in conspectu tuo in
æternum.

Benedictus Dominus Deus Israël a sæcu-
lo, et usque in sæculum : fiat, fiat.

Requiem æternam.

Ant. Sana, Domine, animam meam,
qui peccavi tibi.

Ant. Sitivit.

PS. 41. FERVENS IN DEUM AMOR EXPONITUR.

Quemadmodum desiderat cervus ad fon-
tes aquarum, * ita desiderat anima mea ad
te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum : * quando veniam et apparebo ante faciem Dei ?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte : * dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus ?

Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam : * quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exultationis et confessionis : * sonus epulantis.

Quare tristis es, anima mea ? * et quare conturbas me ?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : * salutare vultus mei, et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est : * propterea memor ero tui de terra Jordanis; et Hermoniim a monte modico.

Abyssus abyssum invocat * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua et fluctus tui : * super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam, * et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ : * dicam Deo : Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei, * et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus ?

Dum confringuntur ossa mea : * exprobra-
verunt mihi , qui tribulant me inimici
mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi
est Deus tuus ? * quare tristis es, anima
mea, et quare conturbas me ?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor
illi : * salutare vultus mei , et Deus meus.
Requiem æternam.

Ant. Sitivit anima mea ad Deum vivum :
quando veniam, et apparebo ante faciem
Domini ?

v. Ne tradas bestiis animas confitentes
tibi.

r. Et animas pauperum tuorum ne obli-
viscaris in finem.

Pater noster.

LECTIO SEPTIMA. *Job* 17.

Spiritus meus attenuabitur , dies mei
breviabuntur , et solum mihi superest se-
pulchrum. Non peccavi, et in amaritudini-
bus moratur oculus meus. Libera me , Do-
mine , et pone me juxta te, et cujusvis
manus pugnet contra me. Dies mei transie-
runt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, tor-
quentes cor meum. Noctem verterunt in
diem, et rursum post tenebras spero lu-
cem. Si sustinuero, infernus domus mea

est, et in tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi : Pater meus es ; mater mea, et soror mea , vermibus. Ubi est ergo nunc præstolatio meo, et patientiam meam quis considerat ?

R. Peccantem me quotidie, et non me poenitentem, timor mortis conturbat me : quia in inferno nulla est redemptio : miserere mei, Deus, et salva me. v. Deus in nomine tuo saluum me fac, et in virtute tua libera me. Quia in inferno nulla est redemptio, miserere mei, Deus, et salva me.

LECTIO OCTAVA. *Job 19.*

Pelli meæ, consumptis carnibus , adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini ? Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei ? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo , et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice ? Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum : et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Quem visurus sum ego ipse , et oculi mei

conspecturi sunt, et non alius : reposita est hæc spes mea in sinu meo.

R. Domine, secundum actum meum noli me judicare ; nihil dignum in conspectu tuo egi : ideo deprecor Majestatem tuam ,
* Ut tu, Deus, deleas iniquitatem meam.
v. Amplius lava me, ab injustitia mea, et a delicto meo munda me. Ut tu, Deus, deleas iniquitatem meam.

LECTIO NONA. *Job 10.*

Quare de vulva eduxisti me ? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi ? Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Sequens Responsorium dicitur tantum in feriali Officio.

R. Libera me, Domine, de viis inferni, qui portas æreas confregisti ; et visitasti infernum, et dedisti eis lumen, ut viderent te, * Qui erant in poenis tenebrarum.
v. Clamantes et dicentes : Advenisti, Re-

dempter noster. Qui erant in poenis tenebrarum. v. Requiem æternam dona eis, Domine : et lux perpetua luceat eis. Qui erant in poenis tenebrarum.

Quotiescumque dicuntur tres Nocturni, dicitur sequens Responsorium, omissa priore.

R. Libera me, Domine, de morte æterna, in die illa tremenda : * Quando cœli movendi sunt et terra, * Dum veneris judicare sæculum per ignem. v. Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. Quando cœli movendi sunt et terra. v. Dies illa, dies inæ, calamitatis et miseriæ, dies magna et amara valde. Dum veneris judicare sæculum per ignem. v. Requiem æternam dona eis, Domine : et lux perpetua luceat eis. Libera me, Domine, de morte æterna, in die illa tremenda. Quando cœli movendi sunt et terra. Dum veneris judicare sæculum per ignem.

AD LAUDES.

Ant. Exultabunt Domino.

PS. 50. PIA DAVIDIS POENITENTIS ORATIO.

Miserere mei, Deus etc. *Vide pag. 78.*

Requiem æternam.

Ant. Exultabunt Domino ossa humiliata.

Ant. Exaudi , Domine.

PS. 64. LAUS DEI, OB DATAM ECCLESIAE PACEM.

Te decet hymnus, Deus, in Sion : * et tibi reddetur votum in Jerusalem.

Exaudi orationem meam : * ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos : * et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegisti et assumpsisti : * inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ : * sanctum est templum tuum , mirabile in æquitate.

Exaudi nos, Deus salutaris noster : * spes omnium finium terræ , et in mari longe.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia : * qui centurbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, et timebunt, qui habitant terminos a signis tuis : * exitus matutini, et vespere delectabis.

Visitasti terram , et inebriasti eam : * multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis , parasti cibum illorum : * quoniam ita est præparatio ejus.

Rivos ejus inebria , multiplica genimina

ejus : * in stillicidiis ejus lætabitur germi-
nans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ ,
et campi tui replebuntur ubertate.

Pinguescent speciosa deserti , * et exultati-
one colles accingentur.

Induti sunt arietes ovium , et valles
abundabunt frumento : * clamabunt, etenim
hymnum dicent.

Requiem æternam.

Ant. Exaudi, Domine, orationem meam,
ad te omnis caro veniet.

Ant. Me suscepit.

PS. 62. PIÆ ANIMÆ SUSPIRIA ET AFFECTUS.

Deus, Deus meus, * ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, * quam multipli-
citer tibi caro mea.

In terra deserta et invia, et in aquosa : *
sic in sancto apparui tibi , ut viderem vir-
tutem tuam, et gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua su-
per vitas : * labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea : * et in no-
mine tuo lavabo manus meas.

Sicut adipe et pinguedine repleatur ani-
ma mea : * et labiis exultationis laudabit os
meum.

Si memor fui tui super stratum meum ,

in matutinis meditabor in te : * quia fuisti adiutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te : * me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ : * tradentur in manus gladii , partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo , laudabuntur omnes qui jurant in eo : * quia obstructum est os loquentium iniqua.

Hic non dicitur Requiem æternam.

PS. 66. IMPLORATUR MISERICORDIA DEI , ET
MESSIÆ ADVENTUS.

Deus misereatur nostri et benedicat nobis : * illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam : * in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus : * confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent gentes : * quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi , Deus : confiteantur tibi populi omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus , Deus noster , benedicat nos Deus : * et metuant eum omnes fines terræ.

Requiem æternam.

Ant. Me suscepit dextera tua, Domine.

Ant. A porta inferi.

CANTICUM EZECHIE REGIS, QUOD EST PIA ET HUMILIS ÆGROTANTIS ORATIO. *Isaiæ* 38.

Ego dixi : In dimidio dierum meorum * vadam ad portas inferi.

Quæsiui residuum annorum meorum : * dixi : Non videbo Dominum Deum in terra viventium.

Non aspiciam hominem ultra, * et habitatorem quietis.

Generatio mea ablata est, et convoluta est a me, * quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est velut a texente vita mea ; dum adhuc ordirer, succidit me : * de mane usque ad vesperam finies me.

Sperabam usque ad mane : * quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.

De mane usque ad vesperam finies me : * sicut pullus hirundinis sic clamabo , meditabor ut columba.

Attenuati sunt oculi mei, * suscipientes in excelsum.

Domine, vim patior, responde pro me : *

quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit ?

Recogitabo tibi omnes annos meos * in amaritudine animæ meæ.

Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis me : * ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, * projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : * non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie : * pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine, salvum me fac : * et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

Requiem æternam.

Ant. A porta inferi erue, Domine, animam meam.

Ant. Omnis spiritus.

PS. 148. OMNES CREATURÆ LAUDENT DEUM.

Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis.

Laudate eum, omnes Angeli ejus : * laudate eum, omnes virtutes ejus.

Laudate eum, sol et luna : * laudate eum, omnes stellæ et lumen.

Laudate eum cœli cœlorum : * et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit et facta sunt : * ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi : * præceptum posuit, et non præteribit.

Laudate Dominum de terra : * dracones et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum : * quæ faciunt verbum ejus.

Montes et omnes colles : * ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiæ, et universa pecora : * serpentes, et volucres pennatæ.

Reges terræ, et omnes populi : * Principes, et omnes judices terræ.

Juvenes, et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini : * quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum et terram : * et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus : * filiis Israël, populo appropinquanti sibi.

Hic non dicitur Requiem æternam.

**PS. 149. INVITATUR POPULUS DEI AD GRATIA-
RUM ACTIONEM.**

Cantate Domino canticum novum : * laus
ejus in Ecclesia Sanctorum.

Lætetur Israël in eo, qui fecit eum : * et
filii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tym-
pano et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo
suo : * et exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt sancti in gloria : * lætabuntur
in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gulture eorum : * et
gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus : *
increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedi-
bus : * et nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis iudicium conscriptum : *
gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

Hic non dicitur Requiem æternam.

**PS. 150. DEUS ETIAM LAUDANDUS IN INSTRU-
MENTIS MUSICIS.**

Laudate Dominum in Sanctis ejus : * lau-
date eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus : * laudate
eum secundum multitudinem magnitudinis
ejus.

Laudate eum in sono tubæ : * laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro : * laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus : laudate eum in cymbalis jubilationis : * omnis spiritus laudet Dominum.

Requiem æternam.

Ant. Omnis spiritus laudet Dominum.

V. Audivi vocem de cœlo dicentem mihi.

R. Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Ant. Ego sum.

CANTICUM ZACHARIÆ, QUO GRATIÆ AGUNTUR PRO OBTEŒTO CHRISTI ADVENTU. *Luc.* 1.

Benedictus Dominus Deus Israël : * quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis : * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, * qui a sæculo sunt, prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, * et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum : * daturum se nobis.

Ut sine timore , de manu inimicorum nostrorum liberati , * serviamus illi.

In sanctitate et justitia coram ipso : * omnibus diebus nostris.

Et tu , Puer, Propheta Altissimi vocaberis : * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus : * in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri : * in quibus visitavit nos , oriens ex alto.

Illuminare his , qui in tenebris et in umbra mortis sedent : * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Requiem æternam.

Ant. Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet , et omnis qui vivit , et credit in me , non morietur in æternum.

Pater noster, *secreto, post Vesperas, pag. 484.*

v. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

In feriali Officio Ps. Lauda, anima mea *dicas hic Ps. De Profundis, pag. 35.*

XXVIII.

INDULGENTIÆ VARIIS HUIUS LIBELLI PRECIBUS ANNEXÆ.

Pag. 2. VENI CREATOR, etc. 1^o Indulgentiæ 100 dierum, quotiescumque eum hymnum recitaveris. 2^o Indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus, lucrandæ ab iis, qui eum hymnum quotidie per mensem pro concordia inter principes christianos recitaverint, in die quo confessi, sacra communione refecti fuerint. 3^o Indulgentiæ 300 dierum, quotiescumque eum hymnum dixeris festo, sive etiam alio die octavæ Pentecostes (*Pius VI. 26 Maii 1796*). Omnes hæ indulgentiæ applicari possunt animabus in Purgatorio detentis.

Pag. 6. ACTUS FIDEI, SPEI, ET CHARITATIS. 1^o Indulgentiæ 7 annorum et 7 quadragenarum, quotiescumque eos actus recitaveris. 2^o Indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus, die quem optaverint, lucrandæ ab iis qui, quotidie iis actibus per mensem recitatis, confessi et sacra communione refecti ad consuetos Ecclesiæ fines oraverint; necnon similiter plenariæ in articulo mortis. (*Bened. XIII. 15 Jan. 1728. Bened. XIV. 28 Jan. 1756*).

Hæ indulgentiæ applicari queunt animabus in Purgatorio detentis.

Pag. 13. ANGELE DEI, etc. 1^o Indulgentiæ 100 dierum quotiescumque eam orationem recitaveris. 2^o Indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus, die quem optaverint, lucrandæ ab iis qui, quotidie ea oratione per mensem recitata, confessi et sacra communione refecti, ad consuetos Ecclesiæ fines in templo publico oraverint. (*Pius VI. 2 Oct. 1795*). 3^o Indulgentiæ plenariæ lucrandæ in festo sanctorum Angelorum Custodum, 2 octobris, dummodo per integrum annum, mane et vesperi, eam orationem dixeris, eo autem die festo, confessus et sacra communione reffectus, ad consuetos Ecclesiæ fines, in templo publico oraveris. (*Pius VI. 20 Sept. 1796*). 4^o Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis, si in vita frequenter eam orationem recitaveris. (*Pius VI. 20 Sept. 1796*). Omnes hæ indulgentiæ animabus in Purgatorio detentis applicari possunt.

Pag. 13. ANGELUS DOMINI, etc. 1^o Indulgentiæ centum dierum quotiescumque Angelus recitaveris. (*Bened. XIII. 14 Sept. 1724*). 2^o Indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus lucrandæ ab iis qui, saltem semel singulis diebus ea oratione per men-

sem ad sonitum campanæ recitata, confessi et sacra communione refecti, ad consuetos Ecclesiæ fines oraverint. (*Bened. XIV. 20 April. 1742*).

Observandum, semper flexis genibus recitandum esse *Angelus*, excepta die sabbati ad vesperam et tota die dominica; tum enim recitari debet stando. Tempore Paschali, loco *Angelus* dicitur *Regina cæli* cum Versu et Oratione. Ii tamen qui posteriores has preces non tenent memoria, poterunt lucrari prædictas indulgentias, illo tempore recitando stantes solitum *Angelus Domini*. In locis ubi campana non auditur, satis est recitare *Angelus* versus eam horam, qua pro ea oratione sonari solet. Religiosi utriusque sexus poterunt lucrari indulgentias, modo ad finem exercitii secundum statuta præscripti, eas preces recitent.

Pag. 22. MEDITATIONES ETC. Meditationi, seu orationi mentali annexæ sunt indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus lucrandæ, si quotidie semihora, aut saltem horæ quadrante, hoc tam necessarium pietatis exercitium peragere consueveris. Confessio sacramentalis, sacra communio et preces ordinariæ ad consuetos Ecclesiæ fines fieri solitæ, hic etiam necessariæ

sunt; diem autem pro libitu eligere poteris. (*Bened. XIV. 16 Decemb. 1746.*)

Hæ indulgentiæ animabus in Purgatorio detentis applicari possunt.

Pag. 35. DE PROFUNDIS ETC. Sequentes indulgentiæ perpetuo annexæ sunt huic Psalmo pro iis qui vesperi, ad campanæ sonitum, hora una post *Angelus*, genuflexi devote eum recitaverint, addito in fine *Requiem æternam etc.* : 1º Indulgenti 100 dierum quotiescumque ita hunc Psalmum pro Fidelibus Defunctis recitaverint. 2º Indulgentiæ plenariæ semel singulis annis, die quo voluerint, lucrandæ ab iis qui, quotidie eo Psalmo sic recitato, confessi et sacra communione refecti, ad consuetos Ecclesiæ fines oraverint. (*Clem. XII. 14 Aug. 1736.*)

Postea vero ea præscripta sic fuerunt immutata, ut eas Indulgentias lucrari queas, etiamsi campanæ signum hunc in finem citius ociusve detur; quin imo in iis locis, ubi ille sonandi mos non viget, easdem has Indulgentias lucraberis, modo sub eadem fere horam, dictum Psalmum cum versu pro Fidelibus Defunctis recites. (*Pius VI. 18 Mart. 1781.*)

Pag. 158. EN EGO ETC. Vide eandem illam paginam.

Pag. 188 et 191. PANGE LINGUA ETC. PANEM DE COELO ETC. DEUS QUI NOBIS ETC. 1^o Indulgentiæ 300 dierum, semel singulis diebus lucrandæ devota recitatione illius Hymni, cum Versu et Oratione. 2^o Indulgentiæ 100 dierum semel singulis diebus lucrandæ devota recitatione duarum ultimarum stropharum cum Versu et Oratione. 3^o Indulgentiæ plenariæ ter singulis annis lucrandæ ab iis qui decies saltem, singulis mensibus, sive hymnum *Pange lingua*, sive etiam solam stropham *Tantum ergo* recitaverint, nempe in Cœna Domini, in festo vel saltem octava Corporis Christi, et semel, die pro libitu eligendo. Ad lucrandas has tres Indulgentias, præter confessionem sacramentalem, sacram communionem et preces ordinarias, necesse est, ut etiam fiat alicujus Ecclesiæ visitatio. Eæ autem Indulgentiæ animabus in Purgatorio detentis applicari possunt. (*Pius VII. 23 Aug. 1818.*)

Pag. 218. LITANIÆ B. M. V. 1^o Indulgentiæ 300 dierum, quotiescumque eas Litanias devote et corde contrito recitaveris. 2^o Indulgentiæ plenariæ in quinque præcipuis B. M. V. Festis, hoc est immaculatæ Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis, lucrandæ

ab iis qui eas Litanias, nullo die intermisso, quotidie recitant. Necesse est autem, ut confessi, et sacra communione refecti ad consuetos Ecclesiæ fines in templo publico orent. Hæ Indulgentiæ applicari queunt animabus in Purgatorio detentis. (*Pius VII. 30 Sept. 1817.*)

Pag. 245. VENI SANCTE SPIRITUS ETC. Eædem indulgentiæ annexæ sunt huic prosæ, quæ hymno *Veni Creator etc. Vide Pag. 522.*

Pag. 336. IN CONCEPTIONE ETC. Vide eamdem illam paginam.

Pag. 353. ROSARIUM. 1º Indulgentiæ 100 dierum pro quolibet *Pater* et *Ave*, quotiescumque vel integrum Rosarium quindecim decadum, vel saltem tertiam ejus partem recitaveris. 2º Indulgentiæ plenariæ semel singulis annis lucrandæ, die quo volueris, si, quotidie saltem quinque decades recitare fueris solitus, et si confessus et sacra communione refectus pro Ecclesiæ necessitatibus oraveris.

Ut autem has Indulgentias lucrari valeas, duo necessario requiruntur; puta, ut rosario quo uteris, eæ Indulgentiæ annexæ sint a sacerdote eam facultatem habente; tum etiam ut ad unamquamque decadem unum e quindecim mysteriis pie et attente

consideretur eo ordine quo illud *pag. 353* indicatur.

Hæc omnia spectant Rosario ordinaria de quibus actum est *pag. 353* ; quod vero attinet *Rosarium perpetuum, seu vivens*, de quo mentio fit pagina 353, sequentes indulgentiæ sociis istius Rosarii concessæ sunt : 1º Indulg. plen. primo die festi post admissionem inter socios. 2º Omnes Indulg. hucusque Rosarii recitationi annexæ. 3º Indulg. 100 dierum quotiescumque feriis decas assignata recitabitur. 4º Indulg. 7 dierum et 7 quadragenarum, quum decas assignata recitabitur diebus dominicis et festis, etiam iis diebus festis qui hodieque aboliti sunt; quibus etiam adduntur Octavæ Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. M. V. 5º Indulg. plen. in festo Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, Corporis Christi, SS. Petri et Pauli, omnium Sanctorum; item in omnibus Festis B. M. V. etiam minimis, et tandem tertio quoque die dominico mensis.

Indulgentiæ plenariæ applicari queunt Fidelibus defunctis. Ad eas lucrandas requiritur, ut confessus et sacra commu-

nione refectus in templo aliquo Deum ores. Ægroti eas etiam lucrari possunt, dummodo aliud quoddam opus pium a confessario eo fine præscriptum exerceant (*Greg. Papa XVI. 27 Jan. 1832.*)

Tandem enumerandæ sunt indulgentiæ quæ annexæ sunt Rosariis sanctæ Birgittæ, de quibus agitur pagina 359. Eæ autem sunt : 1^o Indulgentiæ 100 dierum pro *Credo* et unoquoque *Pater* et *Ave*. 2^o Præter eos 100 dies, indulgentiæ 7 annorum et 7 quadragenarum pro iis qui eo rosario utentes recitaverint quindecim decades. 3^o Indulgentiæ plenariæ singulis mensibus semel lucrandæ, die quo volueris, dummodo quotidie recites saltem quinque decades, et confessus ac sacra communione refectus, in templo publico, ad consuetos Ecclesiæ fines oraveris. 4^o Indulgentiæ plenariæ semel singulis annis lucrandæ, die quo volueris, si quotidie saltem quinque decades, per annum recitaveris, ac confessus et sacra communione refectus, pro necessitatibus Ecclesiæ oraveris. 5^o Indulgentiæ plenariæ in festo sanctæ Birgittæ quod celebratur die octavo Octobris, pro iis qui saltem semel singulis septimanis quinque ut minimum decades recitaverint; at requiritur, ut eo die templum aliquod visitent, ibique

ad consuetos Ecclesiæ precentur. 6º Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis, pro iis, qui, possidentes tale rosarium, animam suam Deo commendant, mortem cum resignatione accipiunt, et post confessionem sacramentalem ac sacram communionem, si ea Sacramenta recipere queant, sanctissimum Nomen Jesu saltem corde, si id fieri ore non possit, invocaverint. 7º Indulgentiæ 40 dierum quotiescumque genuflexus ad sonitum campanæ pro aliquo agonizante preceberis. 8º Indulgentiæ 20 dierum quotiescumque institueris examen conscientiæ, atque in fine recitabis *Pater* et *Ave*. 9º Indulgentiæ 100 dierum quotiescumque, tecum habens tale rosarium, bonum aliquod opus feceris in honorem Jesu Christi, beatæ Virginis, aut etiam sanctæ, Birgittæ; et præterea recitaveris *Pater* et *Ave*.

Ut vero omnes eas Indulgentias lucrari queas, nihil omnino necesse est, nisi ut utaris rosario ad hoc benedicto a sacerdote eam facultatem habente. Recitando autem rosarium cum aliis, uti id fieri solet in communitatibus, æque eas indulgentias obtinebis, ac si solus illud diceres.

Omnes eæ indulgentiæ applicari possunt animabus in Purgatorio detentis. (*Leo X. 10 Jul. 1515. Clemens XI. 22 Sept. 1714. Bened. XIV. 15 Jan. 1743*).

Pag. 324. STABAT MATER. Indulgentiæ 100 dierum, quotiescumque eum planctum recitaveris. (*Pius VII. 18 Jun. 1822*).

Pag. 373. PSALMI POENITENTIALES. 1º Indulgentiæ 50 dierum pro iis qui ad eos recitandos obligati, diebus juxta Rubricas Missalis romani præscriptis eos devote recitaverint. 2º Indulgentiæ 40 dierum pro omnibus fidelibus quotiescumque eos devote recitabunt. (*Pius V. 9 Jul. 1568*).

Pag. 434. MENSIS MARIANUS. Vide pag. 435.

Pag. 435. TRISAGIUM. Huic orationi annexæ sunt: 1º 100 dierum indulgentiæ semel singulis diebus lucrandæ. 2º Has indulgentias 100 dierum lucrari poteris ter in festo sanctissimæ Trinitatis et per totam istius festi octavam, uti etiam diebus dominicis totius anni. 3º Indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus, die quem elegerint, lucrandæ ab iis qui quotidie eam orationem recitaverint, si modo confessi et sacra communione refecti ad consuetos Ecclesiæ fines precentur. (*Clem. XIV. 26 Jun. 1770*).

Pag. 435. PIETATE TUA, etc. Huic orationi annexæ sunt 1º Indulgentiæ 40 dierum quotiescumque eam recitabis. 2º Indulgentiæ 100 annorum et 100 quadragenarum si

accurate per singula mensis sabbata eam recitaveris. (*Leo XII. 9 Jul. 1826*).

Pag. 434. FIAT etc. Huic orationi annexæ sunt: 1º Indulgentiæ 100 dierum, semel singulis diebus lucrandæ. 2º Indulgentiæ plenariæ semel singulis annis lucrandæ, die quo voluerint, ab iis qui quotidie eam recitaverint, ac confessi et sacra communione refecti ad consuetos Ecclesiæ fines oraverint. 3º Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis pro iis qui frequenter in vita eam orationem dixerint. (*Pius VII. 19 Maii 1818*). Duæ priores indulgentiæ applicari possunt animabus in Purgatorio detentis.

Pag. 434. LAUDETUR etc. Vide eandem illam paginam.

Pag. 435. DEUS; QUI PRO REDEMPTIONE etc. Indulgentiæ huic orationi annexæ pro iis qui eam corde contrito recitaverint, sunt sequentes: 1º 300 dies; si eam dicant semel per diem. 2º Indulgentiæ plenariæ, si, ea quotidie per integrum mensem dicta, confessi et saltem uno e tribus ultimis diebus mensis sacra communione refecti, oraverint secundum consuetos Ecclesiæ fines. (*Pius VII. 25 Aug. 1820*).

Eæ indulgentiæ applicari possunt animabus in Purgatorio detentis.

Pag. 436. RESPICE; DOMINE etc. Huic orationi annexæ sunt plurimæ indulgentiæ ut infra dicitur, pro iis qui ad implorandam divinam misericordiam, *genuflexi ante sanctissimum Sacramentum*, sive sit expositum sive etiam in Tabernaculo sit inclusum, eam *corde contrito* recitant. 1^o Indulgentiæ plenariæ prima quaque mensis feria quinta lucrandæ; si post confessionem sacramentalem et sacram communionem, eam orationem recitent et præterea pro necessitatibus Ecclesiæ precentur. 2^o Indulgentiæ 7 annorum et 7 quadragenarum lucrandæ singulis feriis quintis, si post confessionem sacramentalem et sacram communionem, eam ante sanctissimum Sacramentum genuflexus recites. 3^o Indulgentiæ 100 dierum omni alio die, quotiescumque genuflexus ante sanctissimum Sacramentum corde contrito eam recitaveris.

Hæ omnes indulgentiæ applicari possunt animabus in Purgatorio detentis. (*Pius VI. 7 Oct. 1796*).

Pag. 436. HYMNUS IN HONOREM S. MICHAELIS. 1^o Indulgentiæ 200 dierum singulis diebus semel lucrandæ ab iis qui hunc Hymnum cum versu et oratione devote et corde contrito recitabunt. 2^o Indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus lucran-

dæ, die quo volueris, modo, quotidie recitatis per integrum mensem iis precibus, confessus et sacra communione refectus, ad consuetos Ecclesiæ fines oraveris (*Pius VII. 6 maji 1817*).

Pag. 438. PIUM EXERCITIUM etc. Hoc exercitium, quod exordium sumpsit in Germania, ea mente factum, ut ita injuriæ beatæ Mariæ Virginis et Sanctis illatæ reparentur, sequentibus Indulgentiis est ditatum a Pio VI. 5 April. 1786: 1º Indulgentiæ 100 dierum, quotiescumque illud exercitium feceris. 2º Indulgentiæ 7 annorum et 7 quadragenarum, diebus dominicis lucrandæ. 3º Indulgentiæ plenariæ lucrandæ, primum bis in mense, hoc est, duobus diebus dominicis singulo mense eligendis, deinde in omnibus festis beatæ Mariæ Virginis, et tandem in festo omnium Sanctorum; si modo prædictas preces quotidie recitare consueveris, atque confessus et sacra communione refectus pro Ecclesiæ necessitatibus pie oraveris. 4º Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis pro iis qui has preces in vita recitare consueverant, et jam, instituta sacramentali confessione, sacra communione fuerint refecti, aut, ubi id fieri nequit, quos saltem peccatorum suorum sincere poenituerit.

Pag. 438. VIRGINUM CUSTOS. Indulgentiæ unius anni, animabus Purgatorii applicabiles, pro omnibus sacerdotibus, quotiescunque hanc orationem in honorem S. Josephi devote recitaverint. (*Pius VII. 23 sept. 1802*).

Pag. 439. O FELICEM etc. Indulgentiæ unius anni pro omnibus Sacerdotibus qui ante Missæ celebrationem, hanc antiphonam cum versu et oratione in honorem S. Josephi devote recitaverint. (*Pius VII. 23 sept. 1802*).

Pag. 440. O COR Mariæ etc. 1^o Indulgentiæ 60 dierum quotidie semel lucrandæ. 2^o Indulgentiæ plenariæ in Festo Nativitatis B. M. V., die octava septembris; in Festo Assumptionis, die decima quinta Augusti, et in Festo Sacri Cordis B. M. V., pro omnibus fidelibus qui per integrum annum quotidie hanc orationem recitaverint. Ad lucrandas illas indulgentias confessio sacramentalis, sacra communio et preces ad consuetos Ecclesiæ fines, etiam necessariæ sunt. 3^o Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis pro omnibus illis qui frequenter in vita hanc orationem recitaverint. Omnes hæc indulgentiæ applicari possunt animabus in Purgatorio detentis. (*Pius VII. 18 Aug. 1807; 1 Feb. 1816, et 26 Sept. 1817*).

Pag. 442. PRECES STATIONUM. Viæ Crucis annexæ sunt omnino omnes indulgentiæ quæ concessæ fuere illis, qui lōca Terræ Sanctæ speciali quodam Passionis Christi mysterio consecrata, visitant. Omnes illæ indulgentiæ quarum plurimæ sunt plenariæ, applicari possunt fidelibus defunctis, atque ad eas lucrandas solus status gratiæ sufficit, ideoque neque confessio sacramentalis neque sacra communio requiritur. (*Sacra Congr. Conc. Trid. 16 Jul. 1694*).

Pag. 479. OFFICIUM DEFUNCTORUM. 1^o Indulgentiæ 100 dierum pro iis qui ad dicendum illud officium obligati, illud devote recitaverint diebus in Rubricis Breviarii romani indicatis. 2^o Indulgentiæ 50 dierum quotiescumque illud officium dixeris. (*Pius V. 5 April. 1571*).

XXIX.

PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ,

JUXTA TENOREM BULLÆ PII IV. SUMMI
PONTIFICIS.

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia

utitur, videlicet: Credo in Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis: et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et Homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum Scripturas: et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris: et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes

et constitutiones firmissime admittō , et amplector. Item sacram Scripturam , juxta eum sensum , quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia , cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum admittō : nec eam unquam , nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque , septem esse vere et proprie Novæ Legis Sacramenta a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet : Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam , Poenitentiam , Extremam unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre : et ex his , Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio et admittō. Omnia et singula, quæ de peccato originali, et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum , proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis. Atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, esse vere, realiter et sub-

stantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem : quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constante teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco : Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. Cætera item

omnia a sacris Canonibus et œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio ac profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsentī sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retineri, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

FINIS.

I N D E X.

PARS PRIMA.

EXERCITIA PIETATIS ORDINARIA.

I. Preces Matutinæ.	PAG. 1
Veni Creator.	2
Pater. Ave. Credo. Præcepta Dei et Ecclesiæ. Actus Fidei, Spei, Charitatis et Contritionis.	4-8
Litanie Sanctissimi Nominis.	9
Aliæ preces Matutinæ.	15
II. Meditationes pro singulis hebdomadæ diebus.	22
III. Benedictio mensæ.	34
Gratiarum actio post mensam.	35
IV. Pia suspiria per diem.	38
V. Preces pro Sacrificio Missæ.	46
Alius modus pie audiendi Missam.	62
Preces recitari solitæ in Missis pro fidelibus defunctis : <i>Jesu Salvator etc. Dies iræ etc. Miserere etc. De Profundis etc. Libera etc.</i>	76
VI. Preces ante Confessionem.	84
Tabula peccatorum.	87

Examen pro confessione generali.	88
VII. Preces post Confessionem.	105
VIII. Preces ante S. Communionem.	114
Modus se preparandi ad Sacram Communionem per considerationem passionis Christi.	124
Septem diversi modi pie communicandi.	133
IX. Preces post S. Communionem.	139
X. Preces ad lucrandas indulgentias plenarias.	159
XI. Commune Dominicæ ad Vesperas.	164
XII. Ad Completorium.	177
Alma Redemptoris.	184
Ave Regina cœlorum.	185
Regina cœli.	186
Salve Regina.	187
XIII. Laudes Vespertinæ venerabilis Sacramenti.	188
Pange lingua.	<i>ibid.</i>
Ave verum.	189
Adoro te.	190
Omnia Responsoria quæ in Processionali reperiuntur.	191
Sacris solemniis.	193
Verbum supernum.	194
Salutis humanæ.	195

Æternæ Rex.	196
Lauda Sion.	197
Quatuor endologiæ ad Jesum.	200
Endologiæ ad B. M. V.	207
Te Deum.	214
XIV. Preces Vespertinæ.	217
Litanie Beatæ Mariæ Virginis.	218
Aliæ preces Vespertinæ.	222

PARS SECUNDA.

**EXERCITIA PIETATIS QUÆ SUIS QUÆQUE PER
HEBDOMADEN DIEBUS RECITARI SOLENT.**

XV. Litanie Sanctissimæ Trinitatis.	229
Symbolum Athanasianum.	232
Oblatio sui Sanctissimæ Trinitati.	236
XVI. Litanie Sancti Spiritus.	241
Veni Sancte Spiritus.	245
Piæ aspirationes ad S. Spiritum pro septenis ejus donis impe- trandis.	247
Litanie pro fidelibus defunctis.	250
Supplicationes septenæ pro de- functis, per acerbissimam passionem et mortem Christi.	254
XVII. Litanie sanctissimi Nominis Jesu.	257

Triginta tres aspirationes ad Jesum.	257
Septem divini amoris jacula.	263
Quinque suspiria amantis animæ.	264
XVIII. Litanie de SS. Angelis.	267
Orationes ad SS. Angelos.	272
Protestationes S. Caroli Borromæi coram Angelo Custode.	275
Oratio Ecclesiæ ad sanctos Angelos Custodes.	277
Litanie in honorem S. Aloysii.	278
XIX. Litanie SS. Sacramenti.	280
Anima Christi sanctifica me.	284
Ejusdem orationis pia paraphrasis.	<i>ibid.</i>
Actus Fidei, Spei, Charitatis et resignationis coram Venerabili.	289
Laus SS. Sacramenti.	290
Preces ad B. Barbaram.	292
XX. Litanie vitæ et passionis Jesu Christi.	295
Orationes variæ de passione Domini.	301
Pia exercitia erga Christum crucifixum.	306
Salutationes ad quinque vulnera Christi.	311

Litaniæ sanctissimi Cordis Jesu.	318
Litaniæ de Septem Doloribus B. M. V.	321
Plañctus B. M. V.	325
XXI. Officium de Immaculatâ Conce- ptione B. M. V.	327
Orationes variæ ad Beatam Vir- ginem.	358
Exercitium singularis devotionis erga B. V.	342
Septem gaudia B. M. V.	350
Modus pie recitandi Rosarium.	353
Litaniæ in honorem B. Joannis Berchmans.	360
Litaniæ de S. Josepho.	364
Exercitium singularis devotio- nis erga S. Josephum.	368

PARS TERTIA.

EXERCITIA PIETATIS VARIA, QUÆ VEL QUOTI-
DIE, VEL PRO DIVERSIS RERUM TEMPORIBUS,
AUT SINGULARI FIDELIUM DEVOTIONE RE-
CITARI CONSUEVERUNT.

XXII. Septem Psalmi pœnitentiales.	373
Litaniæ omnium Sanctorum.	382
XXIII. Oratio pro tempore belli, contra infideles, hæreticos, aliasque Ecclesiæ perturbatores.	392

Orationes contra pestem et quosvis morbos contagiosos.	396
Orationes contra fulmina, tonitrua, ventos, imbres, aliasque adversas tempestates.	401
Threnus S. Augustini.	403
Innocentii tertii Orationes tres pro defensione et tranquillitate Ecclesiæ Catholicæ.	405
Preces ante et post Exercitia spiritualia cantandæ.	406
XXIV. Preces pro eligendo vitæ statu.	409
Orationes dicendæ in afflictionibus.	412
Oratio dicenda in immodica tristitia.	418
Oratio dicenda in vehementibus corporis doloribus.	419
Oratio Ecclesiæ pro infirmo.	<i>ibid.</i>
Oratio Ecclesiæ pro infirmo morti proximo.	420
Oratio S. Augustini contra desperationem.	<i>ibid.</i>
Oratio S. Thomæ Aquinatis qua virtutes hominis christiani petuntur.	421
Piæ petitiones S. Augustini.	423
Oratio S. Francisci Assisii.	424
Oratio universalis.	<i>ibid.</i>

XXV.	Orationis Dominicæ paraphra-	
	sis.	426
	Salutationis Angelicæ para-	
	phrasis.	430
	Mensis Marianus.	431
	Trisagium : Sanctus etc.	433
	Oratio Romæ recitari solita	
	sabbato.	<i>ibid.</i>
	Oratio jaculatoria : Fiat, laude-	
	tur etc.	434
	Laus Jesu Christi.	<i>ibid.</i>
	Oratio in honorem passionis et	
	mortis D. N. J. C.	435
	Oratio ante SS. Eucharistiæ Sa-	
	cramentum fundenda.	436
	Preces in honorem S. Michaë-	
	lis.	<i>ibid.</i>
	Pium exercitium ad reparandas	
	injurias Beatæ Mariæ Virgini	
	et Sanctis illatas.	438
	Oratio in honorem S. Josephi.	<i>ibid.</i>
	Antiphona, Versus et Oratio in	
	honorem S. Josephi.	439
	Oratio ad sacrum Cor B. M. V.	440
XXVI.	Preces Stationum, seu Via Cru-	
	cis.	442
	Itinerarium.	458
	Preces ægrotantium.	462
XXVII.	Modus juvandi morientes.	468

Officium Defunctorum.	479
XXVIII. Indulgentiæ variis hujus libelli precibus annexæ.	522
XXIX. Confessio Fidei.	536



*Ô Marie conçue sans péché,
priez pour nous qui avons recours à vous!*

Les 20 premières pages de ce PDF donne un aperçu de la qualité, *bonne ou mauvaise*, de l'édition papier. La qualité dépend du livre original dont nous nous sommes servi pour produire le fac-similé (*texte numérisé*).

Il est possible de commander l'édition papier à prix abordable en visitant le site :

canadienfrancais.org

Plusieurs autres livres sont également disponibles sur le même site, toujours à prix abordable.

Année 2024

canadienfrancais.org